Ex Bibliotheca
PHIL. TPI HENRICI BOECLERI
Medicinæ Doctoris et Professoris
Argentinensis.

Dr. med. R. Kobert.
pract. Arzt.

HARVARD
MEDICAL LIBRARY

IN THE
Francis A. Countway
Library of Medicine
BOSTON

M. Phil. Henr. Boecler.
Medic. Stud. 1739.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/dioernesthebenst00hebe

D. IO. ERNEST. HEBENSTREIT
ANAT. ET CHIR. IN ACAD. LIPS. P. P. ORD.
ACAD. IMP. NAT. CVR. SODALIS

DE

VSV PARTIVM
CARMEN
SEV
PHYSIOLOGIA METRICA

AD MODVM
TITI LVCRETII CARI
DE RERVM NATVRA.
IN
GRATIAM AVDITORVM
CONCINNATA.

LIPSIAE
APVD IO. CHRISTIAN. LANGENHEMIVM
MDCCXXXIX.


Ex
Bibliotheca
Universitatis
Heidelbergensis

VIRO ILLVSTRI

IOANNI HENRICO

S. R. I. LIBERO DOMINO

DE HEVCHER

REGIAE MAIESTATIS POLONIARVM
ELECTORIS SAXONIAE
ARCHIATRO ET CONSILIARIO
AVLAE AC IVSTITIAE
SAPIENTI, BONO,
FELICI,

S. D.

AVCTOR.

* * *

DVM TE SARMATICIS AVGVSTAE DETINET ORIS
CVRA DOMVS, DVM NOSTRA SALVS, QVAE REGE VALENTE
VNICA SVBSISTIT, TE TANTAE PONDERA VITAE
CONSILIIS MODERANTE, VIGET; DVM PRINCIPIS AVLA,
AVXILIIS, HEVCHERE, TVIS PRO PRINCIPE VIVIT,
HEIC EGO TE, PLACIDA VITAE CIVILIS IN VMBRA,
DOCTRINA NE MAGIS VALEAS, ADMIROR, AN ARTE,
ET TIBI PRO MAGNO SYLVESTRIA MVNERE THVRA,
(NEMPE DEO, REGI, MAGNO REGISQVE MINISTRO,
INDE TIBI REFERO FORTVNAM,) GRATVS ADVRO.
ET VIRIDES LAVRVS FVLGENTIBVS ADDO COROLLIS,
QVEIS TIBI CANITIEM DEVINXIT GRATIA REGIS.
ADSPECTV TENVEM NE DEDIGNARE LIBELLVM
DEVOTOSQVE TIBI, PLACIDISSIMVS, ACCIPE CVLTVS.
A GRAVIBVS RERVM CVRIS SI QVANDO VACABIS
NE TIBI DISPLICEAT FVGITIVO LVMINA NICTV
FIGERE IEIVNAE, NEC TANTO NOMINE DIGNAE
LVCINAQVE FAVENTE MINVS NASCENTIS OPELLAE
LINEOLIS; VIDEAS VIRIDIS, QVAM CARMINE SCRIPSI
ATQVE IVVENTVTI SIMILIS VEGETAEQVE SENECTAE
EXEMPLO SIMVLACRA TVO, PERGATQVE VALERE,
TE TANTAM, QVÆ SAXONIAE EST, CVRANTE SALVTEM,
AVGVSTVS, SVPERETQVE TVOS SANCTISSIMVS ANNOS.

* * *

PHYSIOLOGIA IN GENERE.

Dic mihi Musa modos vitae legesque salutis,
Queis homo mente potens, tranquillus et absque dolore [1])
Corporeos actus celebrans, animalibus vna
Motibus interne gaudet, sentitque, capitque,
Intellecta cupit, sperato fine potitur,
Dum sibi congenitis valet apte viribus vti,
Arbitrium mentis dum quosdam dirigit actus,
Dum sine praescitu quidam contingere mentis,
Hac etiam nolente, solent; Quis talia praestat
Spiritus? an praeter mentem motore mouemur
Forte nouo, quem norma vetus, diuinaque prorsus
Lex vetat inceptam cum primo stamine vitae
Deseruisse viam? Quae corporis huius origo?
Numquid ab afflatu genialis protinus aurae
Fit ratione valens homo, qui genitricis in ouo
Staminis instar erat, dum, postquam mascula virtus

 Irruit,

1) T. Lucretius Libr. II. v. 16.

Nonne videre?
Nil aliud sibi naturam latrare, nisi, vt cum
Corpore coniunctus dolor absit mente, fruatur
Iucundo sensu, cura moerore remota.

Irruit, ignauum motus ſic concipit ouum,
Deſerat vt calyces, vterumque ſubire laboret,
Sanguine materno maius maiusque futurum,
Donec menſe nouem vicibus per cornua flexo
Prodeat hinc foetus propriaque caleſcere vita
Incipiat rumpatque fores, quibus itur ad auras?
Quam tener exiſtat, quam paruo ſtamine conſtet,
Ex quo viuificum primo cor ſubſilit ictu,
Non minus huic inſunt duplicis primordia partis,
Immortalis ineſt, qui iunctos actuat artus
Spiritus, arbitrioque ſuo rem dirigit omnem.
Seu quod vterque parens animam transmiſerit illam,
Seu quod inexiſtat materno ſpiritus ouo,
Seu Deus infundat mentem naſcentibus ipſe.
Materies huic omnis abeſt, haec neſcia mortis
Durat et eludit caſus neſcitque perire.
Altera pars, corpus, fluidis per vaſcula motis
Conſtat materieque vaga conſiſtit vbique,
Quae durare diu neſcit, quam denique motus
Deſtruit, euertunt miſerae diſcrimina vitae,
Quam peregrinarum diſcordia ſemina rerum
Mortalem faciunt, quam bella domeſtica tandem
Nexibus exſoluunt et vitae vincula rumpunt.
Ardua res, tantos deſcribere carmine velle [2])
Euentus rerum; ſed et haec audacia quaedam,
Dicere velle vias, quibus, ex quo Matris in aluo
Sangui-

2) Lucret. I. v. 137, notat:

Graiorum obſcura reperta
Difficile illuſtrare latinis verſibus eſſe,
Multa nouis verbis praeſertim cum ſit agendum,
Propter egeſtatem linguae et rerum nouitatem.

Sanguine non proprio nutriri desiit infans,
Materiem vitae, succos, alimentaque sumat:
Qualis ad ingluuiem potusue cibusue feratur,
Hinc poscente fame pro *duris partibus* escas,
Inde siti latices *fluidis* ardenter auente?
Quo similes illis, quas transpiramus et ipsis
Motibus ad vitam factis consumimus, adsint
Humores, et vasa suo sint plena fluore.
Hinc noua vitalis tonus incrementa capessat,
Efficiente nouo semper per viscera chylo,
Quem variae causae faciunt per vasa ferendum
Lactea, miscendumque suo cum sanguine posthac,
Viuida, ne cesset vacuas arteria fibras
Sanguine distentas compellere, sicque vicissim
Purpureos fluctus per venas reddere cordi,
Quo constans humana salus et vita beata
Actibus apta suis procul inde doloribus absit,
Vtque fluant semper latices refluantque vicissim
Dum, quod inest spurci, per Colatoria fertur,
Extremoque grauis de limine pellitur hospes.
Nempe per extremos apices arteria flectit
Intortos glomeres, quo glandula sanguine farcta
Extillet laticem, seu per spiracula mittat
Rara cutis tenuem rorem sudetque subinde,
Siue sales spurcos per Renis vtrinque cloacam
Depluat vreter, mictu vesica repurget.
Halitibusue suis respirans fistula fumet,
Nobilior seu lympha cauis collecta suoque
Circuitu gauisa nouo se sanguine mergat,
Et saliens e fonte suo fluat ore saliua
Sit liquor Oesophago, sit et intestina cauumque
Ventriculum salsis demulcens imbribus humor,

Lympha meſenterio ſtillet, venisque feratur.
Quidquid id eſt liquidi, quod nobiliore reſurgit
Fonte, ſubit chylum vario quem flumine paſſim
Lympha redux ſequitur. Renalis capſula mixtos
Colligit et ductum Thoracis complet vtroque.
Excipit hoſpitio ſocios ſubclauia vena,
Candida purpureis permiſcens flumina riuis.
Haec ventrem dextri cordis dum fortiter implent,
Aerios folles pergunt pulmonis adire.
Aeris afflatu quo denique mobile factum
Purpureum flumen, demerſum corde ſiniſtro
Secedat, radioque cauam diſtendat aortam,
Pulſibus innumeris per corporis extima fuſum,
Quo nutrita tonum vitalem viſcera praeſtent,
Muſculus ad motus leges ſe flectere poſſit
Officioque ſuo valeant ſenſoria fungi,
Spiritibus celeri curſu per membra profectis,
Quos genuit cerebrum, quos neruus ad extima ducit,
Sanguinis electi ſobolem, vitaeque miniſtros,
Queis animus facit et patitur, ſentitque cupitque,
Auerſatur, auet, memor eſt, cupit atque cupita
Exequitur, ſermone notat; Regina voluntas
Exploſam cerebro pro nutu commouet auram,
Donec ab arbitrio dependens actio quaeuis
Deſinat, inque vicem ſomno ſuppreſſa quieſcat.
Haec mihi Muſa refer, Tantarum nomina rerum,
Cauſarum nexus, latas a numine leges,
Relligioſa doce, mentesque cupidine veri
Illectas comple cultu, pietate, timore.

CAP. I.

DE ORTV HVMANO.

Prima Creatoris, cum mundum conderet olim,
Cura fuit, factos homines virtute beare
Prolifera, primaeque sinu componere matris
Innumeram sobolem, quam seminis aura paterni
Foecundo coitu teneris educeret ouis.
Nec minor ista Deo, leges sanxisse perennes [3])
Gloria visa fuit, queis se vitalia sponte
Corpora multiplicant, quam laus est summa, creasse.
Numine post operas, sanctam peragente quietem,
Durat ab impulsu primo diuina potestas,
Euoluit magis atque magis primordia rerum,
Semina, quae tenui sub cortice corpora seruant
Foeta suis ouis, quae iam nascentibus insunt,
Progeniemque noua praegnantem prole recondunt.
Omnibus haec eadem vitalibus extat origo
Corporibus, nihil existit, nisi prodeat ouo.
Herba, frutex, arbor, simili natalia pacto
Concelebrant, paruae concluſa putamine glandis
Glandiferae quondam latuerunt robora quercus.
His quoque castus amor duplicisque incendia sexus.
His quoque fers hymenaee faces, dum mascula virtus
Puluere prolifico gremium foecundat amatum.

3) Lucret. Lib. II. v. 247.

Quo nunc in motu Principiorum
Corpora sunt in eodem ante acta aetate fuerunt,
Et posthac semper simili ratione ferentur,
Et quae consuerunt gigni gignuntur eadem
Conditione et erunt et crescent inque valebunt
Quantum cuique datum est per foedera Naturai.

Inde tument ouis vteri, vegetabile germen
Sole ſoloque calet, viuit generatque peritque.
Naſcuntur quaeuis animalia legibus iſtis;
Nec minimis ouo naſci natura negauit.
Sponte ſua quidquam naſci cauſaque carere
Res indigna Deo, quem dedecet ordine nullo
Ceu caſus tulerit, ſua per vaſtiſſima regna
Quidquid id eſt, fieri, (Nihil eſt ſpontaneus ortus.)
Cuius adorandum numen natalia noſtra
Omnipotente magis nutu melioreque fato
Dirigit et cauſas ſummo moderamine nectit;
Vt ne maſſa rudis duplici de ſemine mixta
Mutet in humanam vitalia ſtamina formam,
Sed, quod diuinum mage mirandumque putatur,
Paruulus in paruo iam matris virginis ouo
Exiſtat foetus, quem ſeminis excitet aura.
Exſurgit gracili propior renalibus orta
Parua, duplex, longamque viam metitur, aortae
Progenies, maris ad geminos, arteria, teſtes,
Et qua *proceſſus veli pinguedine pleni*
Ventre ruit, ſaliens abdomine prodit ab imo.
Annulus *obliquae* praecinctus tendine *carnis*.
Suſcipit immerſam, quae dum ſe teſtibus infert
Pampinea facie fit ramoſiſſima *corpus*,
Et ruit in teſtes totosque perambulat illos,
Et comites ſecum neruos lumbaribus ortos
Adducit, tunc ſpiritibus tunc ſanguine turgent
Teſticuli tenerisque tubis, ceu fila locatis
In glomerem flexis *Highmori corpore* fixis
Sperma vomunt, cui pars animae, cui feruidus ignis
Glutine viſcoſo, veluti velamine, tectus
Multus ineſt Vaſis tandem vas pluribus vnum

Effici-

Efficitur, teſtemque ſuper decurrit et alte
Emicat et ſpiras flectit, poſt inguine ſurgit
Tendineum, ſed et anguſtum, dum ventre ſub imo
Ingreditur medioque loco, qua ſtercora rectum
Lotia veſicam complent, feruentia ponit.
Flumina; Spermatica eſt veſicula terminus illi.
Haec variis contexta cauis duplicataque, ſemen
Aſſeruat, donec genialibus excita flammis [4])
Tendineae tunicae motu perculſa, tremiſcat
Eiiciatque foras virtutem fertilis aurae.
Muſculus *accelerator* adeſt, ſphinctereque moto
Bulbo cauernoſus virtutibus adiuuat actum,
Dum *transuerſalis Litri*que *triangulus* adſunt
Spiritibusque graues ſemen de limine pellunt.
Illud in vrethram duplici ſe vortice mergit,
Montanumque veru radio ſaliente fatigat.
Proſtata, quae bulbo propior ſtabulatur vtrinque,
Com-

4) Lucret. Libr. IV, 103.
Sollicitatur id in nobis, quod diximus ante
Semen, adulta aetas cum primum roborat artus
Namque alias aliud res commouet atque laceſſit,
Ex homine humanum ſemen ciet vna hominum vis,
Quod ſimul atque ſuis eiectum ſedibus exit
Per membra atque artus decedit corpore toto
In loca conueniens neruorum certa; cietque
Continuo parteis genitaleis corporis ipſas,
Inritata tument loca ſemine, fitque voluntas
Eiicere id, quo ſe contendit dira libido.

Lucret. L. I. v. 51.
Vnde omneis natura creet res, auctet alatque
Quoque eadem rurſus natura perempta reſolu
Quae nos materiem et genitalia corpora rebus
Reddenda in ratione vocare et ſemina rerum
Appellare ſuemus et haec eadem vſurpare
Corpora prima quod ex illis ſunt omnia prima.

Committit laticem, venerisque reſoluitur oeſtro,
Vrethramque ſuis demulcet rorida guttis
Dumque ſerum geniale ruit muliebribus aruis,
Erigitur penis triplici de corpore factus.
Ille *cauernoſo duplici* tenet Iſchion oſſe
Corpore, dumque rigens *erector* muſculus ortum
Comprimit, exſurgit congeſto ſanguine penis,
Glande rubens, vrethra cui dat corpore corpus.
Neruus ab Iſchiacis, geminis arteria riuis
Iliacâ internâ veniens, Venaeque *pudendae*,
Proſpiciunt, dum luxurians praeputia glandi
Dat producta cutis, penemque coronide cingit.
Eſt albugineae quae teſtem proxima cingit,
Cognomen tunicae, quam Vaginalis abinde
Circuit et teſtes cum vaſis laxius ambit.
Muſculus eſt illis diffuſa carne, cremaſter.
Teſticulos gemina ſcrotum ſtatione recondit.
Illud ab expanſa cute cum velamine *Dartos*
Efficitur ſeptoque ſuo diſtinguitur intus
Dum prolixa ſeges vaſorum ſanguine plena
Irruit, Iliacis externis orta; pudendis
Eſt nomen, quae per ſcrotum numeroſa vehuntur.
Hinc dum caſtus amor muliebria concitat aeſtu,
Clitoris intendit gemino duo corpora crure
Et penem mentita viri ſe *carne* potentem
Erectrice facit, ſurgitque ex Iſchion oſſe.
Labia proritant venerem nymphaeque ſalaces
Vrethram circum ſpumant genialibus vndis,
Et rugis vagina tumet; iuuenilibus annis
Eſt praetenſus hymen, quem myrti glandula forma
Innocuum ſeruat, dum foemina virgo maritum
Reſpuit, hic prima, disruptus, ſanguine, nocte

Diffluit

Diffluit et caſtos, lacerus praeludit amores.
Eſt locus in pulchri ſexus abdomine, peluis;
Hanc duo componunt expertia nominis oſſa,
Nomen habent, dum nomen abeſt, cum coccygis oſſe
Et ſacro, quibus vnitis fit concaua peluis.
Heic inter faecum latet vrinaeque cloacam
Sacra domus matrix paruae cauitatis, vt illa
Vix nucleum capiat, quae plenior, vndique turget
Mole ſua, ſpatioque valet, quo ſaepe gemelli,
Cumque ſecundinis lymphae vis magna tenetur.
Craſſitiem digiti ſubſtantia viſceris aequat,
Et tenet innumeras compacto corpore cellas,
Sanguifluus duplicis generis quas riuus inundat.
Dum ruit innumeris arteria flexa capillis
Et tumidum viſcus generoſo ſanguine complet,
Qualis ab Iliacis internis plurimus atque
Spermaticis, vterum, vaſis vberrimus intrat.
Reſpondent totidem non diſpare nomine venae,
Emeritosque vehunt ſuccos refluentibus vndis
Purpureis, dextri ſubituris moenia cordis.
Vis quoque neruorum ſe maxima viſcere mergit,
Orta vel a lumbis vel ab oſſis germine ſacri,
Intercoſtalis ſobolem communicat vna.
Matrici membrana tenax abdomine nata
Extus adeſt, veloque ſuo caua vaſcula cogit
Lymphaceisque ſuis pertexitur vndique vaſis.
Amplior eſt fundus; ceruix anguſtior intus
Aſperior rugis, matricibus oſtia claudit.
Et referat, ſi nubilibus ſe proripit annis
Virgineus ſanguis, ſoluens lunare tributum;
Vel ſi foecundo coitu vis maſcula quondam
Prolificum ſemen muliebribus iniicit aruis;

Ex-

Excitat ingentes motus tunc casta voluptas,
Fimbria tensa riget matricis, stringitur ala
Plenaque maturis ouaria comprimit ouis,
Sollicitat, patulaque Tuba, (Fallopius istis,
Ductibus ouiferis quondam, noua nomina fecit)
Extractum latebris deducit ad intima germen.
Plasticus ille liquor, qualem genitrixque paterque
Proiiciunt, veteri placido conformis habetur
Materies, qua fiat homo, sententia nostris
Displicet ingeniis, nec numine digna videtur;
Oua volunt; Pater ouipara fit coniuge felix,
Oua parit coniux, duplicique recondita teste
Non nisi nubilibus maturat virginis annis.
Quo tamen instinctu calycis pomoeria rumpant
Et recipi properent auidis matricibus oua,
Ardua res dictu, seu quod matura virago
Testiculis ouum, Veneris perculsa furore,
Proiiciat, seu quod sorbentia vascula plenae
Matricis fugant agiles in semine partes,
Quae penetrent succos matris, quo concita molli
Febricula tumidum genitrix exterminet ouum;
Siue quod innumeri lateant in semine vermes,
Omnes humanam cupidi transsumere formam,
Et turpem mutare cutim, ceu vermis ab illa
Quam tenet, in muscae tentat transire figuram.
Ingenio nimis indulgent, qui talia monstra
Mentis alunt, vellent homines ex vermibus esse,
Nec tamen vna potest vermes fortuna manere,
Vnus erit, si sors faueat, quandoque gemellus,
Qui volucres alas ouaria tendere versus
Possit, et arrepto se condere mordicus ouo.
Interea reliqui pereunt per mutua bella

Cadmei

Cadmei fratres, et vitam mortibus vnam
Lucrantur: Premitur denſa caligine verum;
Clara quidem res eſt, ſententia diſpar habetur.
Vix homo vitales concepit pectore motus,
Vix ſaliens punctum cor, vitae robore pollet,
Cum corpus validis tenerum progreſſibus auctum
Incrementa capit materni ſanguinis vſu.
Matricis paries madido connaſcitur ouo
Et ſua ſanguiferis committit vaſcula vaſis.
Scilicet eſt membrana duplex, eſt carnea maſſa,
Quae tenerum denſo cingunt velamine foetum,
Quae, ſi coniectura valet, ſunt corticis oui
Progenies, harum foetus tener innatat vndis,
Amnios imprimis foetum propiore prehendit
Circuitu, purisque magis diſtenditur vndis.
Extus adeſt Chorion, fluidis farcitur iisdem.
Aſt vrinales, perhibent, abdomine foetus
Progreſſas ſordes et ab allantẽde receptas,
Seruari, donec matris puer exeat aluo.
Fluctuat haec membrana triplex, nulloque cohaeret
Cum matrice loco, niſi qua, radicibus actis,
Inſeritur pendetque tenax vterina placenta.
Vtque tener creſcit fruiturus luminis vſu
Embryo, ſic nutrita ſimul velamina creſcunt,
Dum genitrix vtero fixam, vel lacte, placentam
Ceu perhibent alii, vel vero ſanguine, complet,
Qui poſtquam fuerit teneri pro corporis vſu
Compoſitus multumque ſimul mutatus ab illa
Quam primum tenuit forma, nunc omnis in vnam
Conſpirat venam, foetusque abſconditur aluo:
Ceu vegetos ſuccos naſcentia germina ſugunt
Et tellure datas ſorbent radicibus vndas.

Sic

Sic quoque funiculo dependens embryo viuit,
Cui praeter venam duplices arteria ramos
Largitur, nectitque nodos finitque placenta,
Sanguineosque vehit de foetus corpore riuos,
Quos recipit genitrix; Nimirum circulus inter
Matrem progeniemque suam circumfluus extat.
Vrachus accedit, dum se vesica tenelli
Exonerans, medio sua lotia ventre repandit,
Et tunicam quandam factam farciminis instar
Hinc allantôdem dictam salsugine complet.
Omphalos hinc medio susceptam corpore venam,
Fellificum qua parte lobis diffinditur hepar,
Venoso mergit, res admiranda, canali;
Quo mediante cauam vitalis purpura venam
Irruit hepaticoque simul cum sanguine fertur.
Inde per auriculam dextram sociamque siniſtram
Purpureum flumen ductu moderante Botalli,
In thalamum cordis laeuum defertur, vt inde
Circuitus fiat teneri per corporis artus.
Aſt quoniam pulmone nequit spirare tenellus,
Sanguine pulmones debebant posse carere,
Aere qui vacui, collapso folle, quiescunt:
Hinc pulmonalis rubeos arteria fluctus
Transuersim ductos, rem sic moderante canali,
In sibi vicinam sapienter fundit aortam.
Viuere non solo genitricis sanguine foetus
Dicitur, et dulces, quas colligit Amnios intus,
Absorbere dapes, ventremque liquore replere,
Donec, mense nouem vicibus redeunte per orbem,
Maturum foetum vitalia robora pellant.
Embryo speratas cupidus tunc appetit auras
Anguſtamque domum melioris luminis vsu,

Permu-

Permutat rumpitque fores et clauſtra fatigat
Impulſu capitis, matricem calce laceſſit.
Ora patent vteri, membranaque rupta dehiſcit.
Ipſe ſuis vterus conatibus adiuuat auſum,
Ingeminansque graues niſus, faſtidia longa
Ventre ſuo pellit; natalis diffluit vnda,
Et caput infantis membranas vertice pulſat
Anguſtisque viis adſpirat ad aëris vſum.
Mollia, quae nondum futuris firmiter haerent,
Infirmi capitis cedunt ciuiliter oſſa,
Fonticuloque ſuo ſeſe componere norunt.
Frons duplici, nondum ſolido, ſe complicat oſſe,
Occiput e quatuor commiſſum mobile fruſtis
Flectitur, anguſtisque viis accommodat oſſa,
Sicque labore ſuo vitam ſibi comparat infans,
Atque ſecundinas, (partu, quod nempe ſecundo
Secedant vtero, dictas) poſt terga relinquit,
Fune ſuo circa collum pectusque ligato
Emergit fruiturque madens vitalibus auris,
Congenitoque ſibi nunc ſolus ſanguine viuit
Solicitatque nouam vagitu paruulus auram.
Obſtetrice manu tunc chorda cruenta ligatur,
Funeque ſubſequitur demum protracta placenta
Contrahiturque dolens vterus, multumque cruoris
Euomit; inde redit contracto priſtina forma
Et purgamentum lochiis fluitantibus exit.

CAP. II.

DE HOMINE NATO.

Vix hominis nati pulmones aëre turgent,
Cum noua lex vitae fertur, propriusque parari

Incipit et toto decurrere corpore ſanguis.
Pulmoque nunc contracta prius ſpiracula pandens
Sanguine turgeſcit, clauduntur vaſa prioris,
Qua fuerat foetus praecluſus ab aëre, vitae.
Nunc cruor e *dextro* cordis pulmonica vaſa
Ventriculo petit, et vena mediante *ſiniſtro*
Redditur, et pulſu procul euibratur aortae:
Tunc petit ore cibos infans, ſtomachoque recondit,
Digerit, in chylum mutat, quo lactea vaſa
Excipiant ſuccos, queis purpura ſanguinis exit.
Nempe poros aperit, poſtquam nouus alluit aer,
Denſa cutis, tenuisque vapor tranſpirat vbique.
Inde datur vacuum, tunc ſentit inania vaſa
Spiritus et ſiccas fauces violenter adurit
Hinc ſitis, inde fames; quamuis, ſitiatne tenellus
Eſuriatne magis puer, an patiatur vtrumque
In dubio maneat. Mammas petit ille ſorores
Dilectae matris ſitibundaque labra papillae
Admouet, et fit lacte ſatur, quo nectare plena
Vbera iam fuerant, prius ac gratiſſimus hoſpes
Expectatus adeſt; Maxilla quieſcit inermis
Manducatque nihil, nondum virtute coquendi
Pollens ventriculus fluidiſſima pabula ſorbet.
Mamma coquus ſtruit haſce dapes, motuque ſalubri
Maternos ſuccos in candida flumina vertit.
Nec niſi nubilibus, paribusque ſubire maritos
Virginibus mammae molli de pectore ſurgunt,
Subſtrataeque cuti turgent, dum rubra papilla
Lactiferos ductus punctis ſalientibus aptat.
Mamma parenchymatis ſpecies, (ſit ſalua loquendi
Formula,) vel, mage ſi placeat, niſi glandula, nil eſt.
Fluctuat haec mediaque cutis pinguedine fertur

Sangui-

Sanguineos illi riuos mammaria vaſa
Cum neruis mittunt, fluit hinc lac, feruidus humor,
Compoſitum terra, dulcique cremore ſeroque.
Nerueus ille liquor ſi cui ſe prodigus vnquam
Inſinuat liquido, largo ſe flumine certe
Immittit lacti, maternae Spiritus aurae
Ore fluit ſoboli, dum ſuggerit vbera mater
Vrget amor, ſtimulat genitricem grata voluptas
Mamma riget, rubeam ſtringit tentigo papillam.
Scire decet cur lac generent prius vbera nullum,
Quam fuerit medium de toto tempore tempus,
Matricis grauidae, ſuperatis nempe viginti
Hebdomadis, Luna quater excurrente, peractum?
Vbera iam matris fuerant hoc nectare plena,
Pingue tamen minus eſt, grauidae quod ab vbere matris
Extillat neque lac prorſus, neq; lympha, Coloſtrum,
Sed medii generis, neque pinguibus vbera guttis
Luxuriant, niſi, qui foetum nutriuit, abinde
Exhauſtis lochiis, verſus mammaria tendat
Vaſa, cruor, febrisque prius, cui lactea nomen,
Concutiat tremulos, hinc aeſtu concitet, artus.
Tunc demum mammae deſtillant imbribus albis.
Lacte, ferunt, primo, veluti medicamine quodam
Viſcera purgari, dum farctus faecibus infans
Hactenus occluſo purgat meconia ventre.
Aetatis primo lactans infantulus anno
Vbere materno gaudet: maturior aetas
Conſiſtente magis nutriri poſtulat eſca.
Prouidet, alueolisque ſuis natura latentes
Educit dentes, maxillas oſſibus armat,
Anteque quam primus duodenis menſibus annis,

Finiat, inſtruitur puer inciſoribus octo;
Inde parit quatuor praegnans gingiua caninos
Denique paulatim ſe paulatimque molares
Proripiunt latebris, nec ſeptimus ingruit annus,
Quam dentes gingiua decem per vtramque locarit
Maxillam, validisque cibus nunc corruat armis.
Tardius erumpunt reliqui iuuenilibus annis.
Scilicet vt duris paulatim adſueſcimus eſcis
Ceu robuſta magis ſolidos venientibus annis
Membra cibos poſcunt, ſic dentis germina ſurgunt.
Hinc quoque primores, dum ſeptimus effluit annus,
Alueolis cedunt, inciſor itemque caninus
Effluit, excedunt itidem quandoque molares,
Interitu veteris dentis fit origo nouelli.
Tertia nec raro pueros dentitio vexat.
Molle rudimentum dentis cuiuslibet extat,
Natalique die prius eſt; gingiua profundos
Excitat e thalamis, conſumitur vnus ab vno,
Planta velut radice latet, nec germinat ante
Quam ſol vere nouo radiis genialibus inſtet.
Denique firmantur meliori robore cuncti
Sufficiuntq; cibis, tunduntque moluntque ſecantque
Omnia. Quo propius puerilibus imminet annis,
Quo magis incrementa capit, quo viribus infans
Auctior euadit, mutantur robora motus
Oſſa puta: Coeunt futuris concaua caluae
Oſſa ſuis, ſtabili fons pulſans clauditur oſſe,
Vertebra, coxendix, committunt oſſea puncta.
Confluit os ſterni, mutantur in artubus oſſa.
Nec tamen ante ſuis coeunt proceſſibus illa,
Quam ſe conſiſtens hominis formauerit aetas.
Vtque magis iunctis firmantur ab oſſibus oſſa

Sic puer incedit pedibus, nec musculus ante
Fortiter ossa mouet, quam si magis ista rigescant,
Nec potuit vel velle puer, vel tendere versus
Propositos fines, nisi praestent robore membra.
Haec simul ac virtute toni satis aucta fuerunt,
Imperio parent animae, quae sensibus vsa
Paulatim ratione valet [1]), linguaque ministra
Explicat ingenii vires formatque loquelam.
Interea primae decurrunt heptadis anni,
Fibraque fit virtute potens, nutritur abunde,
Progreditur propiusque venit iuuenilibus annis
Auctus homo membris, animo, septemque bis annos
Emensus, iuuenis nunc denique suscipit esse.
Sanguine luxuriat, post sese pulchrior ipso
Intendit neruos et vires viribus auget.
Plus virtutis habens quam quae pro corpore solo
Sufficit augendo, vacuos nunc semine testes,
Prolifico natura ferax complere laborat.
Pubescunt maribus molli lanugine malae,
Rauca magis vox est et masculus incipit ardor,
Et tener affectus placidos praeludit amores.
Prominulae pulchri sexus praecordia mammae
Vbere praecingunt, sanguis lunare tributum
Exsoluit, matura viro fit blanda puella,
Sicque venit meliore modo perfectior aetas
Ossaque subsistunt postquam ter septimus annus
Ingruit, augmentum cohibens sistensque staturam.
Dum dubium supereſt, iuuenes audire virine

[1]) Lucret. L. III. v. 450.
Inde vbi robustis adoleuit viribus aetas
Consilium quoque maius et auctior est animi vis.

Aut adoleſcentes poſſint, an vtrumque vocari.
Fibra riget, cordisque vigor tunc plurimus extat.
E cerebro ruit ad partes violentior ignis,
His rident charites annis et amabilis Hebe
Complet abundanti vitalia membra fluore.
Vlterius natura vetat protendere vires.
Quin potius, dum quarta decas natalibus actis
Ingruit annorum, tantiſper fibra fatiſcat
Rugaque per faciem paulo numeroſior extet,
Robora ſufficiant tantum, citiusque fatiget,
Membra labor, morbique magis graſſentur in artus.
Tunc homo praeteritos primum deſiderat annos,
Tetra libido fugit, veneris fit frigidus ignis,
Solicitatque minus mentem, quae conſcia fati
Immortale petit, ducta compeſcit habena
Sanguineos animae motus, virtuteque praeſtat.
Iſta ſit in voto cunctis mortalibus aetas,
Hanc optate, viri, qua mens exercita longa
Annorum ſerie tantum ſe dotibus effert
Ingenii, quantum praeterlabentibus annis
Praepropero greſſu declinat cana ſenectus [6])
Nunciat hanc languor; venturam marcida membra
Et male nutriti praedicunt corporis artus,
Canities niueos tingit candore capillos
Caluities aegros deturbat vertice crines.

Mem-

6) Lucret. L. III. v. 452.
Poſt vbi iam validis quaſatu'ſt viribus aeui
Corpus et obtuſis ceciderunt viribus artus
Claudicat ingenium delirat linguaque mensque
Omnia deficiunt, atque vno tempore deſunt.
Lucret. L. II. v. 141.
Quandoquidem grandi cibus aeuo denique defit.

Membra tremore fluunt, hebetes discordia rerum
Obtundit sensus, vacillant robora motus
Defluit alueolo molitor, nec spina staturam
Erigit et morbus tandem fit tarda senectus,
Nec virtus animi constat memoremque vigorem
Infringunt hebetes nerui sensusque remittunt
Interni, puer inde senex bis dicitur esse.
Est aliquis numerus, qui seros diuidit annos
Omnis habet quaedam discrimina septimus annus,
Est aliquis criticus seu climactericus annus.
Septenum nouies si quis superauerit annum,
Defunctus magno rerum discrimine fertur.
Prouidet his rebus DEVS et NATVRA ministra,
Qua non forte nouum mortali in corpore numen
Innuimus: nexum causarum dicimus ILLAM.
Sunt faciles animae motus connataque nobis
Ad sanam, vegetamque diu molimina vitam.
Nempe salutaris, nobiscum nascitur artis
Instinctus medicusque magis natura putanda,
Quam qui successu dubio medicamina miscet.
Est quaedam virtus animae qua congrua nobis
Materies cupido sapienter quaeritur ore.
Selectis alimenta cibis potuque salubri
Praesidium dandae sunt seruandaeque salutis.
Prouidus est aliquis custos in limine vitae
Appetit hic quandoque cibos fastidit eosdem
Hunc audi, sic saluus eris, docet ille ferarum
Agmina, quo sapidis distinguant toxica plantis.

CAP. III.

DE ACTIONE ORGANORVM IN ALIMENTA.

Quamprimum vacuas fecit nutritio fibras [7])
Et perſpiratus depleuit vaſcula ſuccus, [8])
Exoritur ſenſus, qui poſcit pabula vitae
Et ſimili nobis ſuppleri vaſcula ſucco
Imperat, exhauſtum ſtimulante cupidine ventrem.
Prima ſitis fauces crepitantes vſſit, et ante
Quam ſtomachus docuit ieiuni murmura ventris,
Naſcentes homines inuaſit prima voluptas
Irriguum guttur ſolari lacte parentis.
Nunc quoque grata magis ſolidis ſunt *pocula* menſis.
Longa fames minus adducit diſcrimina vitae.
Quam clamoſa ſitis, quae pectora fortius vrit.
Eſt ſitis inſtinctus lingua vel faucibus ortus
Implendi ſapido buccas ſtomachumque liquore,
Quo ſpiſſus mordaxque ſua ſalſugine ſanguis
Dilutus fiat, tunc liberiore per artus
Circuitu ruat et plenis ſua vaſcula riuis
Impleat officioque ſuo fungatur vbique.

Cau-

7) Lucret. Libr. II. v. 878.
Ergo omneis natura cibos in corpora viua
Vertit et hinc ſenſus animantum procreat omneis.

6) Lucret. Libr. IV. v. 861.
Multaque per ſudorem ex alto preſſa feruntur
Multa per os exhalantur, quum languida anhelant
His igitur rebus rareſcit corpus et omnis
Subruitur natura, dolor quam conſequitur rem
Propterea capitur cibus vt ſuffulciat artus
Et recreet vireis interdatus atque patentem
Per membra ac venas vt amorem obturet edendi.

Cauſa ſitis ſunt, excreti de corpore ſucci,
Halituoſa cutim perſpirans fortiter aura,
Vrinaeque fluor, vel parcior ore ſaliua,
Terrenique cibi, ſalſi vel aromate mixti,
Tractus anheloſis praeceps pulmonibus aer,
Vel ſiquis corpus motusue calorue fatigat.
Tunc ſitis infeſtat fauces, tunc ſpiſſa ſaliua
Albicat et ſalſos diſpergit in ore ſapores,
Ipſeque ventriculus feruentes concipit aeſtus,
Hinc patitur, celerique magis cor ſubſilit ictu,
Inde ruit feruens languentes ſanguis in artus,
Hinc vrina rubens mordentes depluit vndas.
Simplicior potus ſed et inde ſalubrior, vnda,
Quam non illuuies peregrina faece remiſcet,
Quae faciem nitidae cryſtalli lucida monſtrat,
Non olet, innocuo gelidiſſima fonte ſcaturit
Vel puteis trahitur, quos plurima ſternit arena
A pecorum ſtatione procul, procul inde Cloacis
Atque metallorum venis, tellure ſub alta
Effoſſos validoque ſimul munimine cinctos.
Vnda placet rapidi decurrens Fluminis alueo,
Et quae fictilibus vaſis ſeruatur ab imbre.
Abſit ab humano ſtagnorum pectore potus
Vnda lacus abſit, nec nudo vaſe bibatur
Quae ſtetit, et radiis ſolaribus vſta caleſcit.
Limpida ſi fuerit, facili per viſcera motu
Tranſit et optato recreat ſolamine guttur
Aptaque fit teneris vaſis, nihil iſta moratur
Corpore, ſed refluit per colatoria prompte

Illa sales soluit, rapidos haec supprimit aestus [9])
His valuit multum potis antiquior aetas.
Vina tamen nihil inde vetat frigentibus vndis
Misceri, Rheno quondam Bacchoque licebat
Esse simul nec grata minus sic pocula fiunt.
Ast vinis aestum restinguere velle meracis
Et lachrymis vuae salientia vasa replere,
A ratione procul distat, nec ab arte probatur.
Si qua meraca bibis, pellucida vina bibantur,
Annosum decet esse merum, grauitate virili
Extimulet linguam, celeri per viscera cursu
Abscedat potoque diu mens sana supersit.
Dulcia vina nocent, nec vina rubentia prosunt.
Ignis inest istis adstringunt fortius ista.
Lacte diu lactisque sero vixisse feruntur
Belligerae gentes; nec turpis ab vbere vaccae
Insipidusque fuit potus sitientibus olim.
Nunc quoque lac bibitur vitae campestris alumnis.
Ast sitis hoc aeuo discordia pocula poscit,
Mille modos dedit ingluuies, queis potus adulter
Efficitur, struit insidias vesana libido,
Pabula dat morbis nocituraque pocula miscet,
Mulsa bibunt alii, tostis fera iuscula granis
Ars facit, his auide vinum sorbetur adustum,

Osque

9) Lucr. L. IV, v. 868.

Humor idem discedit in omnia, quae loca cunque
Poscunt humorem, glomerataque multa vaporis
Corpora, quae stomacho praebent incendia nostro
Dissupat aduenies liquor ac restinguit, vt ignem,
Vrere ne possit liquor amplius aridus artus
Sic igitur tibi anhela sitis de corpore nostro
Abluitur, sic expletur ieiuna cupido.

Osque sat epoto fumans ab aromate foetet
His Thea decoquitur: Cereuisia perplacet illis
Zytha placent vario cereali semine cocta.
Sola tamen nequeunt producere pocula vitam [10])
Sunt solidae partes, sunt viscera, musculus, ossa;
Consistente cibo nutriri conuenit illa.
Inde fames solidas desiderat, appetit, escas,
Instinctusque monet, quo quis de pluribus, illas
Eligat et cupido selectas ingerat ori,
Quae magè conueniunt, et alendi robore praestant,
Nausea dum reliquas, nocituras forsitan, odit
Ceu pecus a sapido lethales gramine fungos
Arcet et immanes distinguit odore cicutas.
Ast homini nocet ingenium, nec percipit ille
Naturae monitum, nec mensae simplicis vsum
Callet et in proprio gladium sibi gutture figit
Mixta nocent, laudat mendaces lingua sapores [11])
Et specioſa libens depascitur ore venena,
Innumeras non arte bonas, quin arte nocentes
Ingerit ore dapes et ventri ingurgitat escas
Elixas, pistas, coctas, sartagine frixas
Assatas toſtasque simul, vel si qua supersunt
Delirante coquo grauidae ludibria mensae,

Quae

10) Lucr. L. I. v. 809.
Et nisi nos cibus aridus et tener humor
Adiuuet, amisso iam corpore vita quoque omnis
Omnibus e neruis atque ossibus exsoluatur.

11) Aurel. Prud. Hamartig. v. 321.
- - Numquid madido sapor inditus ori
Viuit ob hanc causam medicata vt fercula pigram
Ingluuiem vegetamque gulam ganeonis inescent
Per varios gustus instructa vt prandia ducat
In noctem, laceretque grauem sua crapula ventrem.

Quae ſtomacho ſuſcepta parant ciuilia bella
Deprauant chylum venasque humore rebelli
Et varii morbi foecundo ſemine complent.
Sufficit ingenuus, qui ſimpliciore paratur
Arte cibus, coquus ipſa fames et parca voluptas
Admoueat menſis, ientacula, prandia, coenas.
Seu vegetans natura ferat cerealia dona,
Tritica, farra, nouoquo fiat polline panis,
Quo Deus humano generi nil gratius vnquam
Corporeas inter dotes pro munere miſit;
Seu placeat menſis olerum frugalior vſus
Et grauis autumnus mittat mitiſſima poma
Seu pecus, armentum, piſces volucresque feraeque
Morte ſua praeſtent humanae pabula vitae.
Caſeus vberibus detracto lacte paretur,
Aut preſſo fiat mollis pinguedo butyro;
Seu genitrix tellus ſalſis ſal fontibus edat
Foſſilibusque ſinat gemmis ſibi viſcera rumpi,
Littoribusue maris ſalſas ſol decoquat vndas
Seu tellure ſua niger Indus aromata mittat.
Quidquid id eſt, quocunque modo ſit denique mixtum,
Excipitur labris; Tricenos horrida dentes
Armat in adpoſitas menſas maxilla, ſecatur
Caeditur aut molitur, diffractaque fercula fiunt
Mollia contritu, ſubeunt miſcente ſaliua,
Fitque bolus laeuis, quem deglutire labore
Non adeo magno cupientia guttura poſſint.
Qui bene manducat, qui nouit dentibus vti
Dimidia ſtomachum praeuertit parte laboris.
Hinc maxilla duplex fortiſſima conſerit oſſa
Mobilis inferior committit temporis oſſi

Immer-

Immergitque caput foſſae, quam vincula ſtringunt
Articulumque ſuo praeſtant velamine tutum.
Aſt immota manet maxilla ſuprema ſuosque
Opponit ſtabiles dentes et forficis inſtar
Diſſecat in medio ſuſceptas fortiter eſcas.
Oſſe coit duplici, cauitas eſt intus vtrique
Scilicet Highmori quod vulgo dicitur antrum.
Dente pari gaudent maxilla ſuprema vel ima
Quem natura ferax tenera mucedine factum
Excitat, eque ſtatu molli florente iuuenta
Corporis humani duriſſima mutat in oſſa
Neruus ineſt illi, ſunt perflua ſanguine vaſa,
Quae maxillari demerſa foramine pergunt,
Nuda corona quidem cunctis, ſed ſuccida radix
Figitur alueolo dum ſe perioſteon illi
Adplicat et fixa iubet in ſtatione manere.
Et nutrit ſenſumque facit prohibetque moueri,
Gingiuis ſocias operas praeſtantibus vnà
Quas caro ſanguifluis componit perflua vaſis,
Glandula quam numeroſa facit cumulatque ſaliua.
Ergo ſuis armis pollens maxilla ciborum
Duritiem ſuperat tunditque ſecatque minutim
Diſſociat fibras et pultis imagine donat
Viribus inferior propriis maxilla mouetur,
Dum *caro* quae *cuneo ſimilis procedit ab oſſis*
Parte palatina vel ab eius prouenit *alis*
Maſſeterque trahunt Crotaphites attrahit vnà
Inque plagam mouet oppoſitam *bis tendo digaſter.*
Et ſubſtrata cuti caro dicta, *platysmamyôdes.*
Interea ſaliens ſpumas agit ore ſaliua
Luxuriansque ſuo paſſim de fonte ſcaturit
Hanc generat primum demerſa ſub aure parotis,

Hinc

Hinc pluit in buccas ductu mediante Stenonis
Dulce ſerum; ſimiles diuerſis fontibus vndas
Effundit ductus quem tu Warthone dediſti,
Has maxillaris de ſanguine glandula ſuxit,
Tu quoque magne nouum ductum Riuine dediſti
Quem Bartholinus quoque detexiſſe videri
Vellet, at hanc famam Tibi nos adſcribimus vni
Humanae tamen hic linguae non infuit vnquam.
In canibus ductum quoque Nuckius explicat vnum.
Quos male quaeſiuit Coſchwitz venasque putauit
Eſſe nouos ductus, hos Tu ſub tegmine linguae
Gloria Pliſſiadum nobis, Walthere, dediſti.
Eſt aliquod coecum dictum linguale foramen
Quod laticem plorat ſimilem memorante Vatero.
Glandula, quae fauces complet tunicamque palati,
Et tonſilla duplex numeroſaque glandula linguae,
Singula, fonte ſaliuali ſine nomine, gaudet.
Ergo ſaliua cibos manſos fractosque minutim
Mixta ſubit ſoluitque ſales praeſtatque ſaporem
Hinc bolus irriguo dum paſſim voluitur ore
Faucibus apprimitur linguaque mouente mouetur,
Immerſusque gulae ſinuoſo voluitur Iſthmo
Eſt aliquis ſphincter cui ſtilus fila cricosque
Et Thyros et Cephalos mittunt oſſisque hyoidis
Cornua, vel linguae baſis, hinc tot nomina flectit
Muſculus oeſophagum diuerſo tendine ſtringens
Quot veniunt carnes diuerſis partibus ortae.
Dum deglutimus, praecluſum glottidis antrum
Permanet excluditque cibos epiglottide preſſa
Ne bolus illapſus ſpirantia ſupprimat ora.
Hinc freta clauduntur ducto naſalia velo
Sicque per oeſophagum, fibra motrice iuuante,

Quae

Quae duplicis generis, ſpiralis longaque, proſtat,
Pondere preſſa ſuo per pectus depluit eſca.
Et longum metitur iter qua vertebra colli
Adiacet hinc, illinc accumbit fiſtula ſpirans.
Dumque ſubit iugulum, pulmonem tangit vtrumque
Oeſophagus; porro ſalienti iunctus aortae
Accedit ſepto, qua muſculus infimus eius
Tendine finitur duplici, ſtomachoque quieſcit.
Hinc bolus anguſto ſpatio progreſſus, in amplum
Ventriculum ruit et tumidum potuque ciboque
Efficit, inde fames ceſſat votoque potitur.
Ventriculus verſus dextram de parte ſiniſtrâ,
Flectitur vtriculique modo duo cornua pandit.
Incumbente ſibi premitur diaphragmate plenus,
Et riget, infarctusque cibis epigaſtrion implet.
A dextra iecori, laeua de parte lieni
Adiacet et colon ſubtus ſibi foedere iungit.
Pancreas a tergo eſt, paruo magnoque tenetur
Omento, duplici ſeſe diſterminat ore,
Altior eſt ſtomachus depreſſior ore pylorus.
Muſculus ipſe cauus, tunicis per ſtrata locatis
Efficitur quatuor; ſtomachum membrana coercet
Extima, ſubſequitur celloſa Ruyſchia dicta,
Inde ſubeſt duplici fibrarum carnea tractu
Quam faciunt fibrae longae flexaeque per orbes.
Poſt celloſa recens, Albinia dicta, locatur,
Neruea ſubſequitur, denſis, riget intima villis.
Sunt quoque qui tunicam ſtatuant per vaſcula factam,
Queis veniat redeatque cruor, queis lympha recurrat.
Gaſtrica, coeliacae ſoboles, arteria prima,
Altera, quam dextra iecoraria parte reflectit
Tertia quam magno producit ſplenica trunco

Germi-

Germinibus missis subtilia vascula nectunt.
Respondent totidem venae venamque lienis
Ex minimis magnam riuis labentibus, intrant.
Copia neruorum membranis mittitur istis,
Intercostalis neruus dorsalibus auctus
Accedente vago communia foedera nectunt,
Gastricus hinc plexus summus formatur et imus
Cui simul hepaticus plexus, cui splenicus idem
Hinc et renales, vberrima vascula spargunt.
Affluit hisce viis villoque repanditur omni
Et medias escas penetrat praestantior ignis
Spiritus; huic cedunt parentque fluuntque comesta.
Et, quam quae fuerant, longe diuersa resurgunt.
Succurrit villis destillans gastricus humor, (tem
Quem non durus acor, quem non fermenta poten-
Efficiunt nec qui vicino splene scaturit,
Sed qui vitali multum salsugine praestat,
Oesophagi liquido similis, similisque saliuae.
Hic agitat, mouet, inuertit, mutatque fouetque
Soluit et attenuat, superat mollitque coquitque
Pocula mixta cibis, alimentaque prolicit illis.
Dum valide stringunt motrices robora fibras,
Contrahit expansas tunicas, vrgetque premendo
Fercula ventriculus, subigitque teritque molitque
Crispatur rugis, seseque reuoluit in ipsum.
Nascitur hinc chymus, rudis indigestaque massa,
Nec nutrire potens, quapropter valua pylori
Praestruitur, ne crudus adhuc nec coctus abunde
Profluat e statione cibus, nam valuula finem
Ventriculi tensa circum custodit habena.
Actio ventriculi solet his digestio dici,
Coctio, fermentum, trituraue perplacet illis.

Vt

Vt, velut ex muſto fiunt feruentia vina,
Sic quoque mutetur regni vegetabilis eſca.
Si fuerint carnes, nonnulla putredinis eſſe
Cenſetur virtus, quo ſuccidus exeat humor.
Adiuuat hunc actum niſus diaphragmatis ingens,
Adiuuat incumbens hepar dum pondere preſſus
Ventriculus gemit atque cibos violentius vrget.
Muſculus expanſus iuuat ex abdomine natus,
Rectus et obliqui Transuerſus, Pyramidalis,
Queis veluti praelo mollis contunditur eſca
Et fluit atque negat retineri velle pyloro.
Effluit e ſtomacho tandem, digeſtus abunde
Chymus, contigui duodeni viſcere merſus
Sorte noua fruitur, fit chylus abitque, priori
Diſſimilis formae, ſucco meliore ſuperbit
Poſtquam Pancreatis liquor huc confluxit itemque
Flaua dedit bilis riuos et flumen in vnum
Cyſtidis et iecoris ſeſe demerſit amaror.
His ſuccis chymi mutatur priſtina forma.
Particulae coeunt et fortia vincula nectunt,
Abſcedunt faeces nec lactea flumina turbant.
Aduena ſic magis atque magis cibus, aptus ad vſum
Corporis efficitur, ſumitque domeſtica iura.
Conglomeratarum princeps et maxima quaedam
Glandula ventriculo prope ſubiacet, illa vocatur
Pancreas idcirco, quia carnibus omnibus vna
Praeualet et ſapidis res eſt gratiſſima menſis.
Corpore concreſcit, cuius ſubſtantia vaſis
Perflua ſanguiferis (arteria, vena lienis
Proſpiciunt,) multis etiam pleniſſima neruis
Ventriculi plexu miſſis; eſt machina per quam
Lympha tenax, dulcis, ſpumans, ſimilisque ſaliuae

Efficitur. Primum paruis e fontibus orta
Effluit haec, ductu, qui toto viscere surgens
Tenditur in longum, magis et magis auctus abinde
Egreditur, tandem duodenum perforat imum
Communi subiens vna cum felle papilla.
Quod secus in brutis sapiens natura peregit
Fel quibus hinc, et pancreatis liquor effluit illinc,
(Conditio par est quandoque hominique feraeque)
Ast homini, ne fel duodeni viscus adurat,
Inque cauo tenero lethales concitet ignes
Effluit in ductum liquor hic spumosus eundem.
Permixtus chymo sylueſtres glutine partes
Obducit prorsusque ligat. Liberrimus istis
Redditur auspiciis chylus, faex improba cedit.
Praeterea num pancreatis liquor effluat acris
Fermentine vices gerat an contrarius *isto*
Sal latitet *fluido*, quod amicum concitet aestum,
Non patet, et vexat mentes sententia discors.
Confluit hoc itidem duodeno felleus humor
Dissimili constans sale dissimilique sapore,
Nec color vnus inest; bilem iecut expedit vnam
Altera folliculo fellis collecta diuque
Asseruata tenax, flauescens, prorsus amara
Communi fluit, hepaticae commixta, canali.
Fecit vtramque iecur, quod sanguificasse putatum
Antiquis fuerat, nunc purgat felle cruorem.
Hoc hypochondriaca dextra regione locatur:
Massa grauis, cuius stomachum pars concaua spectat
Et vacuum tegit et colo connascitur alto
Et curuaturam duodeni suscipit omnem.
Gibbere conuexo septi se fornice condit
Perque ligamentum latum connectitur illi

Cui

Cui, qua bilificum viſcus diaphragmate pendet,
Nomen ab officio datur, eſt laterale ſiniſtrum,
Eſt, quod vena fuit quondam nunc chorda, rotun-
dum.
Pars iecoris conuexa lobis diſtincta duobus,
Concaua pars itidem lobulo diſcreta minore
Cernitur, huic nomen dederat Spigelius auctor
Cui prope ſunt gemini lobuli, cognomine portae.
Antiqui dixere Pylas, has maximus inter
Venarum fluuius ſimili cognomine Portae
Dictus, adit iecur et prorſus demergitur illi
Et ſpargit ramos et viſceris intima complet.
Confluit hoc trunco vicini vena lienis
Cui ſeſe inſinuant haemorrhoidalia vaſa
Quam duodena ſubit, quam gaſtrica dextra, ſiniſtra.
Hanc et epiploicae cumulatis fluctibus augent
Vena meſenterio veniens interfluit omnis.
Vix adiit portae iecoris penetralia truncus
Cum ſe mille modis per totum diſiicit hepar
Inque ſinus ruit et minimis radicibus actis
Vertitur in glomeres, queis paruula glandula fiat
Innumeris connexa modis : Hinc fellis origo
Quod ſimul ac pingui ſeceſſit parte cruoris
Felliferosque poros ſubit et poſt flumine magno
Per ductum ruit hepaticum, qui pluribus vnus
Naſcitur, hepaticam bilem committit eodem
Folliculi cum felle loco ; duplicataque bilis
Mixta ruit, ductus qua parte Choledochus exit
Folliculus fellis totidem, quot concaua quaeuis
Viſcera, membranis conſtat, iecorique cohaeret.
Diuiditur fundo, collo, gracilique canali
Valuula quem numeroſa ſecat, dum cyſticus audit.

Hinc et fellifero ductu committitur vno.
Bilis si quam cystis habet, flaueſcit, amara eſt
Hepaticae nihil eſt ſimilis; ſeu fontibus illa
Exeat e propriis, iecorisque a viſcere ſurgat,
Hinc propiore via membranas cyſtidis intret
Vel pars hepaticae per collum Cyſtidis intret
Folliculoque diu mutet detenta ſaporem.
Surgit ab hepaticis arteria cyſtica ramis,
Nomine conſimili reſpondet vena, nec illi
Neruus abeſt: Sic fella nouo de ſanguine fiunt,
Qui, ſatur omenti pinguedine, feruida praeſtat
Incrementa nouae bili, ſed chylus an ipſe
Mixtus eat fellique nouum det lacteus ortum,
In dubio res poſta manet. Tunc felle parato,
Qui ſupereſt, omnem, ſorbet caua vena cruorem.
Haec vbi collegit reduces ex artubus imis
Et lumbis ſuccos, haec poſtquam flumine magno
Spermaticas hauſit venas et ſiqua recurrit
Teſticulis, vtero, iecoris nunc ſanguine diues,
Euadit ſeptumque ſubit cordique propinquat.
Eſt quoque coeliacae dexter *iecoraria* ramus
Quae vegetis hepar ſuccis *arteria* complet
Hepaticum nerui plexum ſortita ſodalem.
Omnibus ingreſſis iecori Gliſſonia vaſis,
Capſula circumquaque iacet, clauduntur, eadem
Felliferi ductus lymphamque vehentia vaſa.
Sed non ſola manet ſecreti gloria fellis
Hepar, habetque lien partem, iecorique miniſtrat,
Scilicet haec dubias tenuit ſententia mentes,
Quale ſit officium ſplenis? num gaſtricus illo
Secedat liquor, an riſus ludibria formet,
An venerem praeſtet, ſterilem ſectusque maritum
Efficiat,

Efficiat, num ſanguis ibi ſua ſtercora ponat?
Id tamen a vero procul haud cenſetur abeſſe,
Materiem fellis primum ſub viſcere ſplenis
Diſponi magnaque iecur ſic parte laboris
Hoc paruum iecur, antiquis vox nota, leuare,
Poſtquam ſplen tumidus felli praeluſit amaro.
Edocet id maior pro paruo viſcere vena
Quae ruit in portae ſpatioſo flumine venam
Pendulus eſt hypochondriaca regione ſiniſtra
A ſepto ſtomachoque lien, per gaſtrica vaſa
Queis breuium nomen, nexu committitur arcto,
Fluctuat omento, colo renique ſiniſtro
Pancreatique tenet, formâ, quam lingua bouina
Exhibet, atque nothas coſtas abdominis ambit.
Membranam propriam circum ſua vaſcula tenſam
Poſſidet et cellis numeroſis, farctus, abundat.
Coeliacae ſoboles arteria ſplenica, viſcus
Implet et adducit maiori flumine ſuccos
Quam queis nutriri tam paruum viſcus oportet.
Illi praecipites cellarum concaua ſupplent,
Effuſoque rigant cancellos imbre cruoris.
Accedunt nerui, quos plexus ſplenicus addit
Et liquidum cerebri diffundit viſcere toto.
Inde redit ſanguis, non qualem pleraque vena
Continet, effoetum triſtique colore notatum,
Purpurea nitidum facie, ſimilemque cruori
Quem ſolet ad partes arteria ducere pulſu.
Nulla lienarem diſtinguit valuula venam,
Haec ſimul abſorbet lympham, quam ſplene ſub alto
Glandula ſecernit, ſecretam ſanguine miſcet
Materies igitur bilis, de viſcere ſplenis
Accedit iecori; mixtus pinguedine ſanguis

Additur omento: Si recte noſcimus vſum.
Pluribus hoc equidem ſe commendabile reddit
Officiis, nectit ſtomachum colonque viciſſim.
Dum, duplicata velut piſcator retia tendit
Diuiſis tunicis huic ſe committit et illi.
Inteſtina ſuper pinguedine tenditur ampla
Et ſtillante fero ſerpentia viſcera mulcet,
Texitur a cellis ſucco meliore repletis
Quae medias inter tunicas arbuſcula formant,
Huic numeroſus adeps cellas pinguedine farcit.
Mira tamen res eſt morbo tabeſcere poſſe,
Sicut adeps reliquus, qui molli corpus amictu
Circumquaque tegit. Venis ſorbentibus intrat
Pingue ſerum refluoque ſuos cum ſanguine miſcet
Prouentus, oleoque leui fit venula diues.
Sugit epiploicas nimirum gaſtrica venas;
Splenica tunc trahit, et portam prouentibus implet.
Si quid coniectura valet, ſed poſſe valere
Arbitror, auget adeps refluus primordia fellis.
Nam numeroſa replet vacuas arteria cellas,
Gaſtrica quam miſit, vicinaque flumina ſparſit,
Quo deſtillet adeps cellis, ſorbenteque vena
Exeat et iecoris demergi viſcere pergat,
Inque fel averti. Tanto natura labore
Ingenioque fuit, quo fel concreſceret, vſa!
Inde Meſentericus ſanguis, quem vena reducit,
Irruit et iecori naſcentia flumina mittit,
An chylus iecori venis fundatur ab iſtis
Materiem bili faciens, ſub iudice lis eſt.
Hinc bilis, non emeriti faex cruda cruoris
Quin magis illius ſoboles genuina vocatur
Hanc aqua, ſal cerebrique liquor reſinaque format:

Nam

Nam ſiccata diu deflagrat et vritur igne,
Hepaticam maior permiſcet copia lymphae,
Inde ſapor parcus nec multum fortis amaror.
Aſt quam cyſtis habet, ſalibus mage pollet amaris.
Illa vel illa ſimul moderatos efficit ignes,
Admixtas chylo detergit glutine ſordes,
Liberat immundo nutricem ſtercore lympham
Hinc immundities faecum, quas reddimus aluo
Tincta refert bilem, flauetque in corpore ſano.
Connato nobis medicamine concitat aluum,
Lumbricosque vetat ſanis in viſcere naſci.
Commouet haec tenerae validiſſima robora fibrae.
Inteſtina mouet ſalibus, peri ſtalticus iſto
Fortior euadit ſtimulo per viſcera motus.
Auſteros acidosque iubet dulceſcere ſuccos
Incidit, mutat crudas pungentibus eſcas
Particulis, terram ſalibus fluidisque remiſcet.
Hinc eſt humanae certiſſima cauſa ſalutis,
Sola tamen nihil eſt mollis miſcetur eidem
Pancreatis liquor et duodeni viſcere multus
Ingreditur, veniens vna cum felle papilla.

Poſtquam ventriculus valua mediante pylori
Exiit, incipiunt inteſtinalia tractu
Viſcera praelongo. Duodenum eſt ordine primum
Pollicibus bis ſex longum multumque refertum
Glandibus et validae vaginae compede cinctum.
Interiora tument rugis nec valuula praeſto eſt.
Caetera conueniunt; Tubus hic abdomine clauſus
(Non res miratu ſed res eſt digna ſtupore)
Implicat anguſto ſpirales ventre volutas.
Non ita contorquet ſinuoſa volumina ſerpens
Et ſpiras flectit vel curuos colligit orbes,

Quam se flexilibus concordia viscera miscent
Turbinibus paruoque latent patienter in antro.
Colligit hos omnes lumbaribus ossibus orta
Dicta mesenterium, pinguis membrana, suoque
Circuitu flexis ligat intestina volutis.
Vtque mesenterium, *tenues*, qua parte *canales*
Iunxerat, audiuit, sic postquam crassa ligauit
Intestina, nouo mesocoli nomine gaudet.
Construitur media vasis pinguedine mixtis
Plenaque dispersis passum se glandibus effert.
Hac intestinum ieiunum pendet, eidem
Ileon accrescit, chylum facit illud et illud,
Sunt tunicae queis construitur tubus omnis eaedem
Prima Mesenterio tenet et membrana vocatur,
Altera de cellis molli pinguedine plenis
Nomen habet, celebris titulo descripta RuyschI.
Musculus hinc tenuis circum circaque locatus
Vel fibris longis vel transuersaliter actis
Ambit et in media pinguedine mobilis haeret.
Contextus quem tu nobis Albine dedisti,
Cellosus sequitur; Neruosam magnus in arte
Descripsit Walther, tunc villis mollibus hirta
Intus adest teneraque cauum lanugine spectat,
Adsurgitque iugis valuasque propagine format.
Hae numero plures ieiuno viscere prostant
Ileon hisce caret, numerosa reconditur intus
Glandula Peyeri; turgentia sanguine vasa
Omnibus his tunicis, largis prouentibus, insunt.
His liquor exstillans intestinalis abunde
Irriguos placido conspergit rore canales
Admiscens chylo vitales largiter vndas.

Reddi-

Redditur hinc chylus fluidus, nactusque colorem
Qualis ineſt lacti, dulci ſalſugine praeſtat,
Diuerſis toties ſapidis totiesque colore
Diuerſis rebus forma coeuntibus vna.
Fabrica ieiuni valuis ſe pluribus effert
Quo chylus tumidae purgetur faecibus alui,
Candidus incipiat per lactea currere vaſa,
Quae ſub ieiuni naſcuntur plurima valuis.
Fortior eſt ideo motus peri ſtalticus illi,
Et fibrae multum motrices robore praeſtant,
Valuula conniuens Kerkringi faece remixtam
Explicat hic maſſam, vitaleque torcular vrget
Lactiferasque vias ſuccis praeſtantibus implet
Ileon has etiam ſed parcas, caetera nullas
Inteſtina fouent; duodeno ventriculoue
Vel craſſis quasdam naſci natura negauit.
Hae *generis primi*, quas primus Aſellius olim
Detexit, numero plures ſed corpore paruae
Emergunt qua parte fores arteria pulſat
Lymphaceis mixtae vaſis, pinguedine tectae,
Perque meſenterium tendunt; dum valuula nodis
Intercepta ſuis paulatim promouet vndas.
Sparſa Meſenterio dum glandula ſuſcipit illas
Neruiſluique ſui liquidi virtutibus auget.
Hinc numero fiunt paucae ſinuoſaque late
Et ſpatioſa magis deſcribunt flumina curſu.
Amnis vt ex riuis torrens fit ab amnibus vnus.
Pequetus dedit has et lactea vaſa ſecundi
Ordinis effecit, quas vnica ſuſcipit omnes
Capſula renalis plenamque, fluentibus vna
Lymphaceis venis ex omni viſcere paſſim,
Ciſternam facit et tumido grauis eminet alueo.

Interea, perhibent, venis quoque lacteus humor
Ire meſentericis ſolet et cum ſanguine mixtus
Per iecur ad thalamum cordis decurrere dextrum.
Dum chylus prodit, dum libertate potitur
Quisquiliae, ſi quae fieri laudabilis humor
Haud valuere, manent, fluitantque per Ileon omne
Heic, ſi quid ſupereſt, per lactea vaſcula currit
Donec Bauhini diſcrimen valuula ponat.
Foetida fex alui tunc coeco viſcere fertur,
Hinc colo ſtabulatur iners, flexuque peracto
Introit in rectum tandemque expellitur ano.
Craſſa vocant ideo quia faex craſſeſcit in illis,
Vel quia craſſa magis tunicarum forma putatur.
Quae totidem numero craſſis quam *lactibus* inſunt.
Diſſimilis villoſa tamen, nam glandula ductus
Mittit in internam tunicam Brunneria dicta
Queis liquor extillat lentus, ne viſcera faeces
Erodant noceatque ſua ſalſugine merda.
Craſſa quieta manent, non haec peri ſtalticus vllus
Exercet motus, nec lacteus effluit humor.
Sunt quatuor; Coecum, qua deſinit Ileon, exit,
Vermiculi forma proceſſus pendet ab illo,
Qui minor eſt natis, quam qui naſcentibus olim.
Creditus infantum quondam Meconia dictam
Illuuiem ventris coeco ſorpſiſſe canali
Et tenuiſſe diu: nunc glandibus intus vbique
Sternitur, et liquidum depromit gurgite ſuccum,
Inchoat hic colon dextra regione, ſuoque
Attingit flexu renis pomoeria dextri,
Et iecur accedit, ſub cyſtide tranſit, et imo
Ventriculo, omenti tunica mediante, cohaeret.
Vergit in oppoſitum latus, et cum rene ſiniſtro

Foedus

Foedus init tandem ſacro declinat in oſſe
Cumque loco nomen mutat rectumque vocatur
Atque ligamentis ſuſpenſum coccygis oſſe,
In medio circumfuſae pinguedinis haeret:
Adiacet huic ſi mas fuerit veſica, cohaeret,
Foemina ſi fuerit per mutua vincula matrix.
Muſculus eſt anum claudens reſeransque viciſſim
Sphincter, coccyge dictus adeſt, anique leuator,
Ipſa caro recti propellit ſtercora niſu,
Dum diaphragma iuuat, dum muſculus adiuuat omnis,
Ventre ſatus, dum pulmo iuuat ſpiracula claudens,
Dum flatus iuuat, hinc proprio ſe pondere faeces
Exonerant vrgentque grauem conatibus aluum.
Eſt aliquod recto, niſi morbum dicere malles,
Officium, vaſis haemorrhoidalia dictis,
Euacuare ſtato feruentes tempore ſuccos
Lunarique mares quosdam mulctare tributo,
Nempe meſentericae venae per viſcera craſſa
Retrogradae currunt et quos arteria ſuccos
Sparſa meſenterio dederat, ſorbere laborant
Si malles poſſes meſocolica vaſa vocare.
Lactea progreſſus metitur vaſcula chylus
Ciſternamque petit lumbarem; ſcilicet illa
Praeterea quoque ſecretam per viſcera lympham,
Hepate, rene, liene trahit, cruralibus aucta
Lymphaceis vaſis, turget vitalibus vndis
Et latet in pingui velo diuiſaque cellis
Anguſtum ceruice tubum pellucida format,
Craſſitie calami quem plurima diuidit intus
Valuula quem pulſus prope deſcendentis aortae,
Vrget et expellit contentos impete ſuccos,

Nec

Nec longas tubus ille moras abdomine nectit
Pectus adit scandens, ductus thoracicus inde
Dicitur et mediis rapitur diaphragmatis imi
Tendinibus, postquam pulsanti iunctus aortae
Oesophagique azygaeque comes conterminus idem
Extiterit venae, dum, qua se vertebra dorsi
Corpore bis seno cum costis foedere iunxit,
Laeuaque substratam condit clauicula venam,
Ingreditur, rubeos faciens albescere succos.
Dum properat, vario describitur insula tractu
Ceu, si quando duplex fit flumine flumen ab vno,
Et redit in sese duplici de flumine flumen,
Alluit vnda sitas medio circumflua terras.
Interea, si quae variis in pectore prodit
Lympha locis, ductu passim quoque confluit isto.
Glandula, dicta thymus, sita, qua mediastinon ossi
Adcrescit sterni, cuius, quem conferat, vsus
Non in propatulo satis est, sua vascula lymphae,
Inserit hoc ductu lactique simillima spargit
Flumina; magna recens natis, minor extat adultis
Et se sub iugulo qua surgit vtrinque carotis
Explicat atque gulae propius duplicata locatur.
Iam natat in rubeo lactescens aequore succus
Praecludit reditum lunari valuula flexu
Iam rapitur, celeri chylus petit impete cordis
Auriculam dextram, iam dextro mergitur antro
Ignotosque prius sentit nouus aduena pulsus.
Haec via nutriri cupidis dat pabula membris.

CAP. IV.

CIRCVITVS SANGVINIS, ACTIO CORDIS.

Quis mihi dat vires animi, quis carminis ignes
Suſcitat vt vitae fons humorumque perennis,
Motor in artificis laudem, cor, rite canatur!
Qualis in ignauas violentis ictibus vndas
Fertur et ingentes hydraulica machina pulſus
Edit vt adductus plenis ſiphonibus humor
Diffluat et radiis ſalientibus aera findat,
Talis, ſi fas eſt magnis componere parua
Palpitat in patulo vitalis pectore virtus,
Seque ſuis propriis ad motum motibus effert.
Dum iuuat adducto patulus ſpiramine pulmo.
Pectoris interiore cauo, membrana polita
Spiſſa, tenax, coſtis ſubtus praetenſa locatur.
Appellant pleuram, quae neruis ſanguifluisque
Lymphaceisque ſimul vaſis contexta tonoque
Vitali pollens pectus ſuccingit vbique.
Pectoris hinc cauitas cameris diſtincta duabus,
Diuiditur dum pulmo per hanc dum pulmo per illam
Panditur, abſorbens diuiſis follibus auram.
Subtus habet cellas tenui pinguedine farctas
Quas inter videas intercoſtalia vaſa,
Oeſophagum, venas, ductum thoracis, aortam
Currere; qua pleura videas pulmonibus iſtam
Quae tenet aerio turgentia flumine vaſa
Sanguifluasque vias in viſcus colligit vnum,
Enaſci tunicas; Hac, ſeptum pectoris illud
Cui mediaſtini titulum conferre ſolemus,
Exit et in ſterno miſſis radicibus haeret.

Trans-

Transuerſimque ruit duplicataque retia tendit
Luxuriatque ſuis vaſis; Thymus haeret in illo,
Hinc oritur loculus, nomen Pericardion illi
Quod neruis vaſisque ſuo de nomine dictis
Inſtruitur; duplici ſtrato membrana patentem
Deſcribit thalamum, quod cum pulmonibus illinc,
Hinc cum membrana diaphragmatis interiore,
Commiſſum ſtabili ſeruat cor mobile fulcro.
Dum liquor in medio pendentis robora cordis
Alluit et nimis incerto de fonte ſcaturit,
Seu cor contractum ſuccos extorqueat iſtos,
Auriculaeue pluant illos vel glandula paſſim,
Queis inueſtiri fertur pericardion intus,
Exili mittant tenues adſpergine guttas.
Ille ruit circum lambitque palatia cordis.
Cor paruum forma viſcus virtute ſtupendum
Muſculus eſt, ſimilem toto cui corpore nullum,
Inuenias, vario fibrarum tramite flexus,
Quae ſe mirificis ſubeunt amplexibus omnes
Inter ſe coeunt, valido ſua robora nexu,
Committunt, redeunt in ſe, ceduntque viciſſim,
Exterius rectas videas, aliasque ſub illis
Transuerſim flexas; Baſis orbiculariter actis
Gaudet, apex aliis numerum ſimulantibus *octo*,
Vtitur, inflexis ſpira ſpiraque reflexis.
Eſt immota baſis, mediis pulmonibus iſtam
Fortia vaſa ligant, motrices tendine fixo,
Huc abeunt fibrae quatuorque foramina cordis
Amplexu ſtringunt, claudunt referantque viciſſim.
Ad laeuam decliuis apex, qua ſeptima ſextam,
Attingit coſtam, vegeto latus irruit ictu,
Vaſa ſuperficiem cordis diuerſa coronant.

Nempe

Nempe coronalis velut eſt arteria quaedam,
Primaque de flexu magnae procedit aortae,
Sic quoque reſpondet totidem radicibus orta
Vena coronalis dum flumine colligit vno
Emeritos cordis latices dextraque recondit
Auricula, ſimili diſcurrit tramite neruus
Cardiacus plexu ſimili cognomine dicto
Proueniens: Vagus hunc intercoſtalibus auctus
Efficit et radios vibrantes viſcere condit,
Lymphaceas etiam venas hinc inde remixtas
Eſſe docet reſerans ſpirantia pectora culter.
Haec ſunt quae recreant oculum miracula rerum,
Viſa foris, ſed digna magis ſpectacula viſu,
Quae feriunt animos ſi quis penetralia cordis
Miratus fuerit; quatuor ſe ventribus illud,
Explicat, auriculis binis, thalamisque duobus.
Auriculae variis fibris motricibus auctae
Exercent varios motus vicibusque quieſcunt,
Alternis, turgent fluido, flaccentque viciſſim,
Stricto corde tument, diducto corde remittunt.
Sanguinis ex toto redeuntis corpore *dextra*,
Terminus eſt, verum refluos pulmone *ſiniſtra*,
Purpureos fluctus recipit thalamoque recondit.
Dextra quidem maior nec non ſpatioſior intus,
Quandoquidem caua vena duplex, ſcandensque vel altis,
Deſcendens properata iugis, huic, vortice magno
Purpurei fluidi redeuntia flumina donat.
Laeua minor nec vt illa capax, ſe parcius implet,
Sanguine, nec ſuperat patula cauitate ſiniſtri
Menſuram thalami, tantam vim ſanguinis illi,
Immittens quantam pulſu cor proiicit vno

Pul-

Pulmonis vena reducem multumque tumentem,
Aethere, vitalemque magis, magis igne potentem.
Sanguifluis vasis aures ornantur vtrinque.
Nempe coronales *arteria venaque* cordis,
His quoque prospiciunt vicinaque flumina spargunt,
His quoque, si structura fuit mirabilis vlli,
Visa foris, sectis magis admiratio crescit,
Si quis ad internas vultum conuertere partes
Cum studio curaque velit, nam fulcra trabesque,
Subtensae vario sensu, vitalibus illas
Roboribus donant et flumina sanguinis vrgent.
Dextra quidem velut ampla magis, ceu copia maior
Sanguinis hanc intrat, magis est armata lacertis,
Illi valua triplex ob formam dicta tricuspis
Funibus acta suis validas obuertit habenas,
Sanguineosque sua fluctus virtute coërcet.
Dum duplicata trahit mitralis valua sinistram.
Ergo ruit praeceps sanguis, dum vortice complet
Ventriculos cordis, quibus haud est vna duobus,
Structurae facies, cauitas nec conuenit illis,
Laxior est thalamus dexter, breuiorque sinistro,
Longior est polletque magis virtute sinister,
Crassior et strato fibrarum ditior vno,
Vtpote qui radios vibrantes sanguinis vnus,
Proiicit ingenti spatio per corporis artus.
Ventriculos septum medium distinguit vtrinque
Limitibusque suis thalamorum regna coercet,
Nascentesque trabes moti fulcimina cordis,
Sustinet et valuas vasorum cordis habenis
Dirigit inque suo totius robora cordis
Colligit immotum centro, validasque columnas
Mittit in oppositum latus adducitque mouendo.

Maior

Maior ineſt thalamo fulcrorum copia dextro,
Sanguinis huic vis maior ineſt, crudique liquores
Et chylus pelli mediocri robore nolunt,
Ventriculum motus dum ſynchronus vnus vtrumq́;
Vna ſimul virtus ſyſtaltica ducit vtrumque,
Et premit acceptos ſuccos pellitque premendo.
Pulmonalis enim preſſos arteria ſuccos,
Excipit a dextro thalamo, Lunaeque figura
Praetendit triplicem valuam. Pulmone refuſos
Ex thalamo laeuo pulſans propellit aorta,
Cui quoque valua triplex, forma quam cornua lunae
Creſcentis referunt, reditum, praetenſa, cruoris
Impedit expulſasque ſemel non accipit vndas.
Sunt quoque per thalamos laticem ſtillantia vaſa,
Lymphaceaeque viae ſubtili rore madentes.
Talibus auxiliis motu cor perpete pulſat,
Et cupidos artus vegetis humoribus implet,
Hinc vitam facit et nutrit pulſuque frequenti
Extendit fibras a primo ſtamine vitae,
Et quousque poteſt, creſcentes euehit artus,
Impedit hinc morbi cauſas, auertit easdem, [1])
Effoetos pellens per colatoria ſuccos, [2])
Circui-

1) Lucr. L. II. v. 953.

Fit quoque vti ſoleant minus oblato acriter ictu
Reliquiae motus vitalis vincere ſaepe,
Vincere et ingenteis plagae ſedare tumultus.
Inque ſuos quidquid rurſus reuocare meatus
In quaſi iam lethi dominantem in corpore motum
Diſcutere ac pene amiſſos accendere ſenſus.

2) Lucr. L. II. v. 710.

Nam ſua cuique cibis ex omnibus intus in artus
Corpora diſcedunt connexaque conuenienteis
Efficiunt motus at contra aliena videmus

Circuituque ſubinde nouo motuque frequenti
Sanguineam rapido contorquet vortice maſſam,
Quae dum proiicitur progreſſiuisque per artus
Motibus excurrit, virtus quoque quaslibet intus,
Motibus immenſis exercet feruida partes.
Hinc calor et ſani tranquillus corporis vſus,
Vita dolore carens, mens ſana in corpore ſano.
Nec tantum cordis pro vita ſufficit vſus.
Roboris exceſſus datur; eſt in viribus iſtis,
Luxuries ſuperare valens diſcrimina vitae
Reddere temperiem fluidis, expellere labem
Sanguinis, infractas paulatim reddere vires,
Diuulſas partes in ſe reuocare diuque
Mortifera immunes praeſtare putredine partes.
Nobilis iſtius motus primaria cauſa
Nerueus eſt humor, quem pleno flumine cordi
Cardiacus fundit plexus cerebroque profectos
Immittit latices, quo cordis muſculus iſto
Igne calens multumque tumens ſe robore magno,
Contrahat acceptasque prius nunc euomat vndas.
Hinc quoties ſe ventriculi conſtringere tentant,
Accedit ſepto paries vrgentibus intus,
Spiritibus, quorum breuior fit fibra tumultu,
Aſt vbi laxato virtus diaſtaltica cordi
Ingruit auriculaeque ſuum contractile robur
Exercent, fibrae cordis minor eſſe poteſtas
Aſſolet, hinc ſuperant thalamos conamine magno
Auriculae, quare laxante tricuſpide valua,

Strin-

Reiicere in terras naturam, multaque caecis
Corporibus fugiunt, et corpora percita plagis
Quae neque connecti cuiquam potuere neque intra
Vitaleis motus conſentire atque animari.

Stringendi vires, venoſus ſanguis ab alto
Depluit et ventrem patulum liberrimus implet.
Quae ſit contracti cordis laxique viciſſim
Cauſa, latet, premitur ſpiſſa caligine verum,
Siue per interualla fluat liquor igneus ille,
Qui cordis fibras animat, ſeu forſan ab ipſo
Cardiacus neruus contracto corde prematur,
Vt torpente tono ceſſet ſyſtaltica virtus,
Seu cor ſe propriis ex ſe venientibus ipſo
Auxiliis moueat, de ſe ſua robora ſumat,
Dum rapidus ſanguis, per ſubſilientis aortae,
Primam progeniem, ſe cordis carnibus infert,
Has mouet et fibras ideo violentius vrget.
Quo propior magis eſt virtus quae proiicit ipſa.
Circuitus breuior conſtantia robora praeſtat,
Ex ſeſe cauſae redeunt in ſeque recurrunt,
Forſitan et confert labentis ſanguinis vnda,
Nam cruor ex vena iugulari flumine magno,
Poſtquam ſe comitem ſubclauia iunxit vtrinque,
Irruit auriculae dextrae magnumque ruendo,
Excitat impulſum, quapropter valuula quaedam
Euſtachii praeſto eſt, rapidos moderamine fluctus
Quae ſubigat, ne deſcendens caua flumine vena,
Impediat *magnae* ſcandentia flumina *venae*.
Adiuuat hos actus, fibrarum fabrica cordis,
Quae velut automaton propriis ſe viribus vrgent.
Corde nihil maius, nihil hoc diuinius vnquam,
In re mortali, nihil excellentius extat.
Flammula nil cordis nil mutuus efficit ardor,
Sanguinis et chyli ſalibus contraria nullis
Bella ſales in corde mouent, nihil aeſtuat intus,
Omnia tranquille fiunt, dum ſpiritus actum

Adiuuat; interea mens iſtos neſcia motus
Non regit, afficitur tamen et pro robore cordis
Plus valet atque minus, varioque pathemate *pulſum*
Alterat et tandem, poſtquam cor deſiit ictu
Subſultante ſuos per corpus pellere fluctus,
Corporis iſtius penitus ſe foedere ſoluit.

CAP. V.
PVLMONVM ACTIO.

Purpureos nullos, niſi quos pulmonibus ante
Immiſit thalamus dexter, quos vena remittit,
Ex pulmone redux, fluctus explodit aorta.
Nec, niſi commixtus fuerit ſubtilior aether,
Sanguis alit partes, et vitae commoda praeſtat.
Aura ſubit patulas fauces vel naribus intrat,
Quamprimum primos vagitus edidit infans,
Nec niſi cum vitae magno diſcrimine poſthaec,
Dum nati ſumus, aerio torrente caremus.
Aethereosque cibos ſpirantia guttura ſorbent,
Aſpera dum patulos arteria pandit hiatus:
Illa ſub expanſi coelo firmata palati,
Oeſophago propius, linguae radicibus haeret,
Dicta larynx primum, tenuis qua perforat iſthmus
Glottidis aut rimae ductus qua ſpiritus intrat.
Haec reſerata patet, donec cibus impleat ora,
Et contracta pharynx aliquas ingurgitet eſcas
Tunc epiglottis adeſt, cuſtos in limine vitae,
Et claudit depreſſa fores ne forte ſubintrans
Quidquid id eſt ſolidi, ſpirantia praeſtruat ora.
Nec depreſſa manet frenoque mouente reſultat,
Inque ſitum proprio motu redit acta priorem,

Glotti-

Glottidis introitum duplices in gutture guttae,
Eſt arytaenaeis nomen, per vincula firmant,
Eſt inter ſcutum, thyroidem graecia dixit,
Inter et orbiculum cricoidem rima ſonora,
Humanae qua perficitur muſurgica vocis
Fiſtula ventriculis intus diſtincta Galeni;
Muſculus his vario varium dat robore motum,
Eſt epiglottaeus ſimplex, Hyoides abinde
Hinc arytaenaei nec non cricoidis et alte
A ſterno veniens Thyroides muſculus; omnes,
Sunt gemini, gutturque trahunt ducuntque premuntque,
Auxiliis iſtis trahitur ſuauiſſimus aër,
Redditur his etiam, dum cantu, voce, loquela
Fletu vel riſu, vario molimine, pulmo
Exſpirat calidam modulis variantibus auram;
Aſpera, poſt guttur, graecisque trachea vocata,
Deſcendit iugulo, quam plurimus annulus vnam,
Flexilibus format ſpiris, eſcamque ferenti,
Oeſophago tunica communi iungere pergit.
Hinc quoque contingit quod plenis fiſtula ſpiris
Haud conſtet quadamque ſui mutilata dehiſcat
Parte, locum membrana tegit, quae flexilis eſcae
Vberiore bolo demiſſae cedere nouit.
Tota trachea ſuo velo praecingitur intus,
Carnea nec membrana vacat; ſtillante canalem
Glandula demulcet ſucco, quae plurima paſſim
Intertexta cauo, nec neruea vaſcula deſunt
Sanguifluaeue viae; thyroides glandula ſcuto
Accumbit geminoque loco diuiſa, ſed vna,
Si quid coniectura valet per guttura mites,
Diſpergit latices, lento ſpiracula muco,

Inducens, alios nondum cognouimus vſus,
Aſpera ſe talem thorace arteria mergit,
Qua regione ſuos iugularis vena recondit,
Accumbens fluuios, qua prodit vtrinque carotis.
Vix iugulum tetigit vix ſummo pectore mergit
Nondum diuiſum ſpirans arteria truncum,
Quam geminos ramos gemino pulmone recondit.
Pulmo lobo dexter triplici tria germina ſumit,
Dum duo ſe gemini medio pulmone ſiniſtro
Immergunt, donec ſe *quinque*, volumine ſparſo,
Innumeris aliis lobulis ſpiracula findant,
Qui ſimili tunica gaudent, quos annulus idem
Componit donec pulmonum viſcere toto
Bronchia decurrant, nec ſit locus vllus in illis,
Qui non aeriis tubulis repleatur vbique.
A quibus, vua velut grauidos connata racemos
Efficit, innumera ſerie veſicula pendet.
Singula progenie vaſorum cingitur illa,
Quam thalamo cordis dextro progreſſa ſuisque,
Pulmonum demerſa lobis arteria fundit.
Reſpondent totidem venae numeroque locoque
Adductum prius et preſſum pulmone cruorem
Exiguis prius et ſenſum fugientibus omnem,
Poſt ſenſim magnis auctisque volumine vaſis,
Abducunt et in auriculam coeunte ſiniſtram
Flumine committunt; ſeu venula prima reſurgat
A teneris ramis quales arteria mittit,
Seu locus exiſtat medius, veſicula nempe
Pulmonum refluatque ſimul ſubtilior aether.
Quidquid id eſt, coeunt paruis tria maxima vaſa,
Finibus et lobulis paſſim contexta lobisque
Denique pulmonem faciunt, ceu copia rerum;

Creſcit

Creſcit et exiguis magni cumulantur acerui.
Faſciculos extenſa ſuper membrana coercet,
Pleurae progenies, quae continuata loborum
Per ſegmenta ruit ſeſeque accommodat illis.
Praeterea quaedam ſeſe pulmonibus infert,
Bronchia cui titulos faciunt, arteria parua.
Intercoſtali propius procedit, aortae
Proles inuentumque tuum praeclare Ruyſchi,
Paruula cui ſimili reſpondet venula tractu,
Vaſcula nec deſunt tenuem reuehentia lympham.
Illa ſuperficiem pulmonum multa coronant,
Et chyli ductu vicino merſa feruntur.
Hae ſunt, queis conſtat pulmonum machina, partes.
Omnibus officium eſt, ſeu ſe ſpirantia pandant
Pectora vitalemque trahant pulmonibus auram,
Seu contracta ruant, et ſpiritus exeat ore.
Eſt varius coſtis, motum qui praeſtet vtrumque
Muſculus; *extendunt* dentati poſteriores,
Summus et inferior, ſacrolumbaris easdem,
Inſertus trahit, has itidem, qui pectore ſummo,
Sub mammis latet, anticus maiorque minorque
Serratus, quamuis ſcapulas vel brachia iunctim,
Inſerti moueant, diducere poſſe putantur.
Accedunt carnes, medias quae tendine coſtas
Veras atque nothas, (intercoſtalibus illis,
Nomen abinde datum eſt) ſtringunt ſpiranteque laxant,
Pectore, decuſſim per mutua robora flexae.
Sterno coſtales ſex atque triangulus vnus
Committunt ſocias operas ſternoque leuato,
Flexilibus coſtis communia robora praebent.
Deprimit has rectus Xiphoidis cardine natus,

Muſculus, atque nothas ſuccingens tendine coſtas
Obliquus geminus; propior velut omnibus vſus
Eſt cohibere cauo clauſas abdomine partes,
Sic quoque conſtat agi coſtas ſternumque per illos
Motibus alternis dum pectore ducitur aura.
Cauſa mouens eſt *tranſuerſum* primaria ſeptum,
Quod graeci diaphragma vocant; Hoc limite thorax
Et venter diſtant, paries hic vnus vtrinque
Pectora vel ventrem diuiſo limine ſpectat.
Muſculus hic quatuor diuerſis carnibus exit.
Maiores geminae ſub coſtis parte ſuprema,
Innectunt validas commiſſo tendine fibras
Infixas ſterno, Xiphoides ſcilicet illas
Appendix ſterni, radicibus implicat actis,
Occurrunt paruae geminae, quas vertebra dorſi
Vltima lumborumque prior dimittit in altum.
Diuerſis quatuor ſuccreſcit muſculus vnus
Ventribus et tandem coaleſcens tendine lato
Sub triplicis folii forma committitur vna.
Pendet ab hinc hepar per fortia vincula nexum,
Et diaphragma ſui molimine ponderis vrget.
Huic quoque, ſi pectus videas, pericardion alte
Immergit fibras et ſeptum tendine tangit.
Concaua pars ſpectat ventrem conuexaque pectus.
Eſt aliquis neruus phrenicus, quem tertia colli
Vertebra dimittit, poſt accedentibus auctus,
Intercoſtalis neruis, qui flumina ducit
Spirituum, multumque valet virtute mouendi.
Hinc phrenicam mittit truncus labentis aortae,
Reſpondet ſimili decurrens nomine vena,
Hanc azygos capit et ſpatioſo gurgite mergit.
A dextris caua vena ſubit; de parte ſiniſtra

Oeſo-

Oeſophagus penetrat; deſcendens ſubter aorta,
Labitur et ventris percurrere viſcera pergit.
Hinc vbi magnus agit per ſummas muſculus oras,
Panditur extenſus thorax, vbi paruus in ima,
Parte trahit, redeunt in ſe labentia rurſus
Pectora, collapſis madidus pulmonibus aer
Egreditur, redit hinc iterum labor actus in orbem.
Et poſtquam ſorpſit primas infantulus auras,
Millibus inſpirat pulmo gratiſſima vitae
Millibus exſpirat gratiſſima pabula vitae
Pulmo modis, actum mens conſcia dirigit iſtum.
Aſt quoties ſomnus laxatos opprimit artus,
Neſcia mens motus fieri nihil impedit iſtos.
Quidquid id eſt quod ab aerio ſe flumine nobis
Inſinuat quo poſſe frui tam grata voluptas,
Et ſine quo morimur, ſine quo cor debile nullos
Exercet pulſus et vitae ſupprimit vſum,
Igneus eſt aether ſeu pars ſubtilior aurae,
Totus enim variis commixtus partibus aer
Sordibus illuuieque grauis, quem corpora paſſim
Ex triplici regno vario ſpiramine foedant
Sanguinis haud intrat patulis pulmonibus aequor.
Exſpirante redit pars eius crudior ore,
Sed pars nobilior cupido ſe ſanguine mergit,
Quam pulmonalis paruo veſicula ductu
In pulmonalis ſubtilia vaſcula venae
Sanguine commixtam fundit cordisque ſiniſtri
Auriculae reddit; ſub flumine ſanguinis aer
Eſt aliquis; campana docet, quae corpora viua
Exanthlat, niſi forte velis ſorbentibus auram
Ire leuem venis et per cutis intima ferri,
Aut deglutitis videatur ad intima duci,

Aura remixta cibis, modus eſt obſcurus vtrinque.
Si tamen excluſum cupias a ſanguine prorſus
Aera, nec ſubiiſſe velis, ſi diſplicet vſus
Aeris admixti, forſan magis iſta placebunt.
Impletas aura veſicas impete magno
Vrgeri verſus turgentia ſanguine vaſa. 2)
Hinc ſubigi maſſam, partes mutare figuram
Et chylum ſtricto cum ſanguine foedere iungi,
Purpureoque ſuum lac permutare colore.
Sanguificum iecur ergo vale. Tua munia poſthac
Expediet pulmo, ſatis eſt tibi fella parari.
Pulmo mouet chylum non vno ſcilicet actu
Sed per circuitus plures repetitaque multum,
Laxati ac iterum contracti verbera cordis,
Quamuis vaſorum forſan ſyſtemate toto,
Iſtud opus fiat, nec viſceris actio ſimplex
Sufficiat, videas chylum, qui pluribus vna
Pulmones tetigit vicibus, ſupereſſe, diuque
Poſt paſtum refluo venarum ſanguine ferri.

Pulmo

2) Ouid. metamorphof. L. I. v. 25.

Imminet his aer, qui quanto eſt pondere terrae
Pondus aquae leuius, tanto eſt oneroſior igni.

M. Manil. L. I. v. 149.

Ignis in aethereas volucris ſe ſubſtulit auras,
Summaque complexus ſtellantis culmina coeli
Flammarum vallo naturae moenia fecit,
Proximus in tenues deſcendit ſpiritus auras
Aeraque extendit medium per inania mundi
Ignem flatus alit vicinum ſubditus aſtris.

Lucret. L. V. v. 520.

Siue quod incluſi rapidi ſunt aetheris aeſtus
Quaerentesque vias circumuerſantur et ignes
Paſſim per coeli voluunt ſe immania templa,

Pulmo iuuat, non aerii certamine quodam,
Fermenti saliumue nouis in sanguine turbis,
Vnde calor, motus minimaeque rotatio partis.

CAP. VI.

CIRCVITVS SANGVINIS.

Mutatur pulmone cruor vitaleque robur,
Indeptus laeuam cordis defertur in aurem,
Post in ventriculum, triplici dum cardine valuae
Mitrales referant praeclusi moenia cordis,
Queis iterum clausis, patula cor pellit aorta
Sanguineos radios et corpore disiicit omni
Purpureos fluctus, arteria paruula donec
Desinat in primas venas, queis pluribus vna
Fit caua, quae reddit cordi, quas miserat ante
Vitales fluuios, sic postquam circulus vnus
Exiit, ecce nouum, qui se virtute prioris
Instaurat, ruit innumeros labor vnus in orbes.
Millibus vnius decursu tota diei,
Massa fores cordis guttis redeuntibus explet,
Pulmonesque ferit vicibus, dum millibus illa
Ventriculo cordis per aortae germina rursus
Disiicitur repetitque vias agitata priores.
Dum cruor ex thalamo laeuo salientibus exit
Proiectus radiis, sibi cor surgentis aortae,
Prospicit ex trunco, propriosque resuscitat ignes,
Moxque super duplices crescentis imagine lunae,
Conspicuas valuas arteria cordis vtrinque
Surgit; at e thalamo dum prodit aorta siniſtro,
Flectitur et flexu sinuosum perficit arcum,
Ex quo proueniunt *subclauia dextra*, (carotis,
Scili-

Scilicet illius lateris non prouenit arcu,)
Laeuaque, quas inter medias se *laeua carotis*
Eleuat ex arcu, nisi forte carotis vtrinque
Nascendi sortem memorato ducat ab arcu.
Tunc eadem, quamuis diuersum duxerit ortum,
Conditione pari fruitur, iuguloque propinqua
Accumbit trunco spirantis vtrinque canalis,
Indiuisa manens, nisi si quae vasa subinde
Oesophagum subeunt vel colli carnibus insunt,
Donec qua linguae basis est hyoide sub osse,
Vna duplex fiat: Faciem, faucesque sitosque
Ore locos capitisque omnes in vertice partes
Irrigat emissis ramis externa carotis.
Cuius progenies similes cum partibus illis
In quibus exspirat, titulos finesque capessit.
Altera se penitus cranii cauitate recondit
Et subit inflexos sub temporis osse canales
Et cerebrum petit et basilari mergitur osse
Perque piam matrem per mollia viscera passim
Encephali, miros plexus et retia nectit,
Et ceruicales subit et committitur illis.
Dura Meninx parcos habet hoc de sanguine ramos,
Sed sua vasa capit ramo, sub bregmatis osse
Quem mittit cerebri tunicis externa carotis,
Et quae pertundit spinosum parua foramen.
Post varios ramos quos summo pectore nondum
Thoracis progressa cauo subclauia spargit,
Est ceruicalis, quae transuersalibus alte
Mersa foraminibus, subit occipitale foramen
Vnaque de geminis fit post arteria ramis,
Atque carotidibus committit paruula vasa,
Et cerebro toto, cerebello vascula toto

Disii-

Disiicit, oblongaeque simul dat vasa medullae,
Post ceruicalem mammaria pectore prodit
Interior totoque ruit longissima sterno.
Thoracis digressa cauo *subclauia* nomen
Post varios mutat ramos in pectore sparsos.
Exterior postquam mammaria cessit et omnes
In scapulae partes postquam scapularis abiuit
Tunc *axillaris* titulo defertur et vno
Cum sociis neruis nexu venisque profecta
Decrescens non diuiso per brachia trunco
Irruit et cubito triplicem diuisa remittit
Post alias paruas, ramum; radiaea vocatur
Alter, at vlnaris titulo distinguitur, alter;
Tertius hinc inter radium decurrit et vlnam.
Vlnaris, postquam tetigit palmamque volamque
Ex arcu digitis salientia vasa remittit.
Dum dorsum radiaea manus ex parte pererrat.
Descendens alios ramos arteria magna
In thorace facit. Costis verisque nothisque
Excepta prima, sed lex non omnibus vna,
Inserit hinc illinc intercostalia vasa,
Et prope dum tangit vasti confinia ventris
Perque duas medias carnes diaphragmatis intrat,
Dimittit phrenicam toto diaphragmate sparsam.
Coeliacam, posthac; triplici diuortia ramo
Illa facit largamque parit vastissima prolem.
Laeua lienaris prodit, iecoraria dextra,
Gastrica prima venit medio, dum splenica quosdam
Ventriculo ramos, ramos iecoraria quosdam
Explicat; omento quidam mittuntur vtrinque,
Hepaticae ramum Glissonia capsula quendam
Obducit velo, nudus dum proruit alter.

Cysti-

Cystica per fellis vesicam defluit vna.
Dum duodenalem quandam iecoraria mittit,
Pancreati veniunt rami quos splenica mittit,
Coeliacae propior mesaraeo mittitur vna
Quam primam summamque vocant, numerosus ab illa
Ramorum cumulus sobolem dispescit in exta.
Illa mesenterii passim regione ruentes
Largitur ramos, duodenum concipit inde
Sanguineos fontes, qua desinit; inde canalis
Extorum tenuis sumit subtilia vasa
Dum mesaraea ruit variis arteria ramis,
Mittuntur tunicis extorum vasa capillis
Aemula, committuntque vagos tenuissima plexus.
Finitur mesaraea prior, qua valuula coli
Limine praetenso lactes et crassa coercet:
Proxima de trunco prodit decliuis aortae
Renalis, quandoque duplex communiter vna
Illa prius quam se renali viscere condat,
Supra renales mittit, dum capsula renum
Accipit hinc varios mersos pinguedine ramos.
Illa per internas renum se germine partes
Dissipat innumero; vix vltima vasa capillum
Mensura, mersis alte radicibus, aequant,
Vicinae sunt spermaticae, quas truncus aortae
Emittit gemino partu; renalibus illae
Proueniunt raro: Tenues, sed munere magnae
Terga super psoadis longo se tramite flectunt,
Cum venis neruis ac vreteribus vna
Commissae tunica ramos pinguedine spargunt.
Aut vretri socio dant paruula vasa.
Has tandem summo demittit ad inguina scroto,

Annu-

Annulus et gemino diuiſas teſte recondit,
Si fuerit ſexus potior, ſi foemina, peluim
Non ſuperant et foemineos, ouaria, teſtes
Inde tubas vteri numeroſo germine complent.
Extremam poſt ſpermaticas arteria mittit
Magna meſentericam, craſſis haec mittitur extis,
Et ſua per *coecum*, per vermiculare per omnem
Flexuram coli, per rectum germina mittit.
Vltima ſacra ſuae trunco procedit aortae,
Quis numeret reliquas, lumbares inde vel inde
Quinque ſimul paribus miſſas, ſine nomine plures.
Deſinit hinc et in Iliacam mutatur aorta,
Quam geminam geminus diſtinguit in inguine truncus.
Iliaca interior multis hypogaſtrica dicta,
Dum foetus grauidae matricis germinat aluo,
Vaſa ſecundinis quondam ſalientia miſit
Funiculi partem, quae poſt coaleſcere iuſſa,
Ambo ligamenti veſicae munera praeſtant,
Iſchiadas eadem mittit per poſtera crura
Pelui progreſſas; genitalibus illa *pudendas*
Internas, mittit, capit hinc veſica racemos.
Iliaca exterior poſtquam ſe proripit aluo,
Mutato titulo cruralis nomine conſtat.
Haec, poſtquam ventri data ſunt epigaſtrica vaſa,
Hinc externa pudenda ſuas feceſſit ad oras,
Aut anum circa ſpiras haemorrhois egit,
Poſtquam cruralis ramum ſibi ſingulus vnum
Muſculus addixit, nunc alto poplite flexa,
In medium tria vaſa pedem maiuſcula mittit,
Tibia dum quendam ramum dum fibula quendam
Et medium quendam pars inter vtramque locata

Acci-

Accipiunt: His planta pedis dorſumque, perinde
Ac id per ſummos arteria fecerat artus,
Nutritur, digitus dum ſingulus accipit vnam.
Caetera conueniunt, quis enim, queis muſculus omnis,
Osue quibus, membrana quibus, quibus organa quaeuis
Et cutis et radix ipſius forte capilli
Turgeſcant ramis, deſcribere carmine vellet?
Nullus in extremis numerus, lex nulla modusue,
Extenuata ruunt ſine nomine paruula vaſa,
Deficiunt ſenſus tandem, menſuraque nulla
Vltima vaſa notat: minimis quoque pulſat aorta,
Vna datur virtus; eadem praeclara facultas
Magnas cum minimis vitali robore donat.
Omnibus ex variis tunicis ſtructura paratur,
Omnibus eſt membrana foris, eſt cellula poſthac
Tertia tendinea eſt et pulſum robore format.
Quarta fit ex vaſis, quam glandula plurima miſcet.
Exemplo magnae res iſta probatur aortae.
Dum cruor extendit propulſus corde, canales,
Eſt reagens quaedam virtus, motusque quiesque
Alternis agitat vicibus ſalientia vaſa,
Inde, renitentes dum purpura preſſa canales
Cordis ab impulſu tranſit, tenuisque calensque
Euadit, circumque ſuam deflectitur axim
Bullula, ſeque rapit ſeſeque mouetur ab ipſa [3])

(Spiri-

3) Lucret. L. I. v. 293.

Quamlibet in partem trudunt res ante ruuntque
Impetibus crebris interdum vortice forti
Corripiunt rapidoque rotantia turbine portant.

Lucret.

Spiritus hanc agitat ſeſeque reuoluit in ipſam,
Impatiens ruit illa morae, ruit illa quietis,
Per minimos quosuis decurrit turbine facto,
Alueolos, curſuque replet, dum fine potitur,
Vaſcula, nec pars eſt in toto corpore quaedam
Quin, os ſeu fuerit, membranaue, glandula, neruus,
Muſculus aut tendo, ſint ex ſubtilibus iſtis,
Magna parte ſui contextaque factaque vaſis,
Quae pulſu cordis magis et magis aucta ſubinde
Creſcendo viuunt, ſi quid nutritio tandem
Eſſe ſinit reliqui, ſi quid ſecretio paſſim

Eſſe

Lucr. L. I. v. 829.
Nunc et Anaxagorae ſcrutemur Homoeomeriam
Quam graeci memorant, nec noſtra dicere lingua
Concedit nobis patrii ſermonis egeſtas,
Sed tamen ipſam rem facil' eſt exponere verbis
Principium rerum, quam dicit homoeomeriam
Oſſa videlicet ex pauxillis atque minutis
Oſſibu' ſic et et de pauxillis atque minutis
Viſceribus viſcus gigni ſanguenque creari
Sanguinis inter ſe multis coeuntibu' guttis.

Lucret. L. II. v. 865.
Ex inſenſibilibus tamen omnia confiteare
Principiis conſtare.

Lucret. L. I. v. 685.
Sunt quaedam corpora quorum
Concurſus, motus, ordo, poſitura, figura
Efficiunt ignes mutatoque ordine mutant.
Naturam.

M. Manil. Aſtron L. IV. v. 888.
Vtque fit ex omni conſtructus corpore mundus
Aeris atque ignis ſummi, terraeque marisque
Spiritus et toto rapidus, qui iuſſa gubernat,
Sic eſſe in nobis terrenae corpora ſortis
Sanguineasque animas, animum, qui cuncta gubernat,
Diſpenſatque hominem. quid mirum noſcere mundum
Si poſſunt homines, quibus eſt et mundus in ipſis?

Esse super patitur, regione reuertitur illa,
Paruula qua tetigit summos arteria fines.
Siue quod hic fiant mutato nomine venae,
Quae tenui plures abeant ab origine, magnis
Fluminibus redeant, hinc dextram cordis in aurem
Conspirent vtriusque cauae torrentibus omnes,
Siue quod existat medius locus inter vtramque
Qui non vena queat, qui non arteria dici,
Graeca Parenchymatis titulo vox extulit illum.
Surgit ab innumeris refluens cruor vndique venis,
Sicut in innumeros ramos discessit aorta.
Nullus agit venas pulsus placidusque recurrit,
Venosus sanguis celeres nec perficit orbes,
Sed moderatus abit, dum valuula plurima venas
Intertexta iuuat; redeuntia flumina pulsus
Adiuuat et tardos citius facit ire fluores
Nulla tamen venas, iugulo, matrice vel extis
Cordeque delapsas distinguere valuula sueuit,
Nec totidem, quot habet pulsans arteria, venam
Componunt tunicae, tenues tunicaque carentes
Tendinea venae flaccentque tumentque vicissim.
Nomina sunt illis pro conditione locorum,
Dumque suam comitant salientia vascula venae
Nomen habent vnum, solae cutis impare gaudent
Nomine vel si quae redeunt pinguedine tota.
Vena saphena pedis totius sanguine turget,
Illa pedis dorso paruis coalescere riuis
Conspicitur mediique pedis fit sanguine dives,
Cruralemque suo demulcet sanguine venam.
Inguinibus propior; variis epigastrica vena
Plena subit venis et ventris carnibus exit,
Dumque ligamentum fallopi turgida vena

Cru-

Cruralis ſuperat, mutato nomine, venae
Iliacae titulo conſtat, dum ſanguis ab omni
Accedit pelui, totidem ſunt nomina venis,
Quae refluunt, quam ſunt ſalienti nomina vaſi.
Accedunt venae, quibus emulgentibus olim
Nomen erat; venam renalem vena ſiniſtram
Spermatica ingreditur, dextram caua vena reſorbet.
Supra renales, adipoſae denique, vena
Emulgente ruunt et partes ſanguine mulctant.
His opibus diues caua vena ſub hepate tranſit,
Ac immerſa parum conuexam flumine partem
Alluit et iecoris venas auidiſſima ſorbet.
Hic quoque deponit maternus flumina ſanguis,
Dum foetus ſumus, inque cauam, mediante canali
Venoſo, venam ruit; hanc, venientibus annis,
Praeſtruxit natura viam, venamque priorem
In ſolidum fulcrum iecoris coaleſcere iuſſit.
Talibus aucta modis, transuerſi tendine ſepti,
Vno vel duplici, caua vena, foramine merſa
Pectus adit, phrenicas ſorbens in limine venas.
Inde grauis dextram cordis procedit ad aurem.
Euſtachii qua parte locum ſibi valuula fixit,
Opponitque ſuas labenti deſuper vndae
Ex iuguli vena vires, et flumen in vnum
Dirigit oppoſitas, obliquo gurgite venas.
Irruit huc azygos coſtarum ſanguine diues
Exceptis primis, quarum ſubclauia ſorbet
Purpureos fluctus, ſed lex non omnibus vna;
Interea caua deſcendens ſe cordis in aurem
Deiicit et magnam vegeti vim ſanguinis infert
Ex cerebro reflui; iugularis vena ruentem,
Ex cerebri ſinibus, cerebello vena ruentem

Ceruicalis habet, ſubclauia ſuſcipit omnes,
Laeua quidem titulo cum primis eminet illo,
Quod chyli ductus media ſe terminet illa,
Et valua praecludat iter: breuiore recurrit
Circuitu cordis praecingens vena coronam,
Vnde coronalis nomen, dextraque ſub aure
Cordis abit; Pulmone redit pulmonica vena,
Perque ſinum quendam demergitur aure ſiniſtra.
Legibus hiſce valet corpus, ruit actus in orbem
Sanguis et in vegeto motu verſatur vbique.
Res ignota ſcholis veterum, quam magnus in arte
Haruaeus claram meliori lumine fecit.
Vitalis liquor hiſce viis exitque reditque,
Quem variae partes communi foedere iunctae
Efficiunt; eſt terra grauis, pars pinguior illam
Mixta ligat, ſubtile ſerum ſua flumina miſcet,
Lymphaceis vaſis miſſum venisue ſeroſis;
Spiritus accedit, qui toto ſanguine multus
Feruet et aduectus neruis calidiſſima vitae
Pabula conſtantesque focos flammamque miniſtrat.
Sal quoque mixtus ineſt paſſimque volatilis errat.
Principiis iſtis conſtans concordia leges
Sanxit amicitiae, niſi ſi peregrina quietem
Perturbent, his foederibus ſtat vita ſalubris.
Aſt veluti duplici ſunt turgida vaſa cruore,
Sic quoque diuerſus motus contingit vtrinque.
Purpura, quam celeri ſaliens arteria pulſu
Vrget in extremas partes per vaſa minuta,
Igne magis turget laetoque colore ſuperbit,
Vitalis magis eſt; celeres arteria mortes
Laeſa ſolet, ſed vena ſolet producere lentas.
Aſt ſimul ac vegetas hauſit nutritio partes,

Et

Et ſecreta fuit diuerſas lympha per oras,
Serpit inops ſanguis, lentisque per vltima, poſtquam
In primas ſeſe venas arteria mutat,
Motibus incedit; Proprio nil robore fiſus,
Indiget auxiliis; Hinc valuula plurima, venae
Interualla notat, queis ſe ſuffultus in altum
Euehit, interea pulſans arteria retro
Irruit et rapido compellit flumine flumen.
Nec tamen eſt adeo venoſus ſanguis ab omni
Nobilitate procul; tenues ſubtilis in illum
Lympha catarrhactas aperit, venaeque ſeroſae
Sanguineis mergunt dulciſſima flumina venis.
Nam prope maiores venas eſt ſingula ſemper
Glandula, nec raro videas pellucida lymphae
Vaſa ſuper venas ſinuoſos ducere flexus.
Accedit pinguedo redux, quam venula ſugit,
Tunc cruor in dextram cordis dum funditur aurem,
Perficit haec eadem, quae primo fecerat ante
Circuitu, redit hinc ad cor, diſpellitur inde.
Pluribus, vnius ſpatio ſe circulus horae
Exſoluit vicibus, feruens per viſcera ſanguis
Infuſum cordi rapit vno flumine chylum,
Qui dum progreditur, contactu ſanguinis, exit
Purpurea facie, nec enim breuis ille putatur
Eſſe labor, nec ſic temere ſibi lacteus humor
Purpureos habitus ſumit; Conamine magno
Res agitur, quo degeneret, formamque priorem
Exuat incedatque ruber, qui candidus ibat,
Quem non forte iecur, ceu tempora priſca putabant
Efficit, aut factum ſplen alto viſcere mittit.
Pulmo quidem, cuius chylus de folle nouellus
Aeris afflatu mixtus preſſusque receſſit,

Sanguificaſſe poteſt quadam ratione videri;
Aſt magis adpoſitum naturae legibus eſſe
Creditur, in toto ſi quis ſyſtemate paſſim
Vaſorum fieri reputet de lacte cruorem,
Quandoquidem, perhibent, chylus poſt prandia ſueuit
In venis ſupereſſe diu, cui purpura nondum
Obduxit rutilo niueos velamine ſuccos.
Aſt quid mutati ſit cauſa modusque coloris,
Ardua res dictu: motu pulſuque frequenti
Concolor efficitur cum ſanguine lacteus humor
Vitalis calor accedit, qui concoquit igne
Albentes ſuccos, quo diſcolor exeat humor,
Sole calente velut viridis rubor inficit vuas.
Omnia clara forent, ſalium ſi pugna valeret,
Hanc tamen a ſano ſperandum longius eſſe
Corpore, nil violenter agit, natura Deusue.
Multa latent, latuere diu porroque latebunt.
Dum ſic purpureos voluunt per membra fluentes
Vaſa, nec affluxus ſuperat virtute refluxum,
Iuſta bilanx quaedam vitales dirigit actus,
Vaſcula tenſa rigent, vacuos explere canales
Cor ſatagit, pulſuque ſuo protendere mollem
Molitur fibram vel partibus addere partes.
Nomine communi ſolet is nutritio dici
Naturae motus, ſaluas in corpore partes
Qui facit, inque ſtatum meliorem vertit easdem.
Velle cibos, captos cupida demittere fauce
Igneque vitali coctos in ſanguinis vſum
Vertere, ſanguineos agitare potentius imbres,
Hinc alimenta ſuis demittere ſingula membris,
Id nutrire vocant. Sed et id nutrire vocatur;

Ex

Ex minimis tubulis, quales arteria format,
Lymphaceo minimam fibram perfundere ſucco,
Quae deſunt, ſupplere datis, ſuperaddere multa,
Et definitam ſic conciliare ſtaturam.
Hic, quo non alius generoſior extitit actus,
Proximus eſt ouo: Vix eius ſtamine paruo
Concipitur foetus cum ſe nutrire laborat.
Viuere, nutriri, ſubſiſtere, velle valere,
Mortales optant; magno molimine tentat
Rem natura ſagax, quo fractas robore partes
Viribus extendat, membris noua ſtamina ducat
Augeat hinc artus certo numeroque modoque,
Prouida ſemper agens, minimas implere lacunas
Solicite curans, ne mors properata ſequatur.
Quotidie morimur, vitae genus atque labores
Exhauſtis faciunt languentia corpora ſuccis,
Aura ſubit partes, inimica miaſmata ſpargens.
Diffluimus paſſim, vegetam ſudatio lympham
Haurit et extenuat, decreſcit amabilis aetas.
Quam validae fuerint vires, nihil impedit inde
Naturae, noſtrûm, ſtragem; conſumitur ipſo
Machina quam gerimus, detritaque corruit vſu.
Accedit luxus, quo non mortalius vllum
Eſſe poteſt vitium mortali in pectore maius
Quo nos deſtruimus, diſcordia pabula menſis
Dum damus, et potu nimio diſtendimus exta
Quo petulans ſanguis ſalibus vel bile rebellis
Irruat et teneri corrumpat viſceris actum.
Tot natura malis opponit robora vitae,
Et ſarcit ſtudioſa malum partesque ruentes
Subleuat et venas ſuccis melioribus implet,
Dum nutrit ſanat: ſed non aetatibus vna

Omnibus eſt ratio vel virtus corpus alendi.
Naſcentes, nati, iuuenes, nutrimur abunde,
Hac aetate ſolent nutritis partibus addi
Pondera, menſurae, vires et robora mentis,
Sed ſimul atque capax extendi neſcia porro
Fibra ſtetit, ſimul atque rigent proceſſibus oſſa,
Sufficiens tantum vires nutritio ſupplet,
Augerique magis vetat aut increſcere membris;
Interea ſi quis ſupereſt laudabilis humor
Theſauros adipis miti pinguedine complet.
Proſpicitur miſerae, morborum tempore, vitae
Dum nequit ore cibus ſumi; Tunc pinguia vela
Depromunt loculis infarctis vbere ſucco
Vitales latices, hinc marcida corpora morbis
Euadunt, macies flaccentes excoquit artus.
Denique deficiens nutritio deſerit artus,
Decrepito vigor omnis abeſt, tremor occupat artus.
Dum ſic diſtentis turgeſcunt vaſcula ſuccis
Nutritumque nouo firmatur robore corpus,
Interea ſurgunt fontes lymphaeque ſerique
Affluxu ſimili ſimiles aequante refluxus
Lympha ruit, celeres gyros in corpore praeſtat,
Effluit infenſus membris ſalſugine ſuccus.
Diuerſus modus eſt: Lympham *ſecretio* format
Deiicit ignauos *excretio* dicta liquores.
Turgida nobiliore ſero lymphaque ſalubri
Venula per ſummos artus, arteria poſtquam
Deſiit, emergit, tunc flexos perficit orbes
Glandula, cui facies non omni contigit vna,
Illa globos format, glomeres ſed perficit illa
Maiores, medias, minimas minimisque minores,
Per caua diſperſas vel ad extima membra locatas.

Si

Si qua, velut format collectos vua racemos,
Distinctis globulis gaudet, glomerata vocatur
Aſt aliis ſimplex magis eſt ſtructura, globatis.
Omnibus eſt mediumque cauum, membranula cunctas
Inueſtit, multae venoſo ſanguine mergunt
Irriguos fontes, aſt excretorius vnus
Ductulus in reliquis caua perfodientibus extat.

CAP. VII.

ACTIO CEREBRI ET NERVORVM.

Prima manet cerebrum ſecretae gloria lymphae,
Glandula ſi tamen eſt, ſed glandula dicitur eſſe,
Qua fit principium vitae, qua ſpiritus exit,
Qui motum ſenſumque facit mentique miniſtrat.
Propterea cerebro circumſunt, bis quater oſſa,
Quae caluam faciunt, ſuturis illa ligantur.
Os frontis quandoque duplex; ſutura, ſagittae
Aemula ſi forſan naſi radicibus exit,
Praeterea ſimplex; frontem ſutura coronat,
Sinciput efformant iunctim cum bregmatis oſſe,
Accedunt illis lateralia temporis oſſa
Bregmaque ſquamoſis futuris proxima tangunt.
Poſticum caput occipitis deſcribitur oſſe,
Litera lambda dedit formam, triquetroque ſubinde
Luxuriat, nomen cui fecit Wormius, oſſe.
Ima baſis cranii baſilari clauditur oſſe,
Et cribro ſimili, cui parua foramina nomen
Efficiunt, coeunt futuris illud et illud.
Durities eadem non omnibus extat in annis,

Mollia sunt teneris cranii mortalibus ossa,
Infanti nato dum bregmatis ossa dehiscunt,
Fonticulus, summo formatur vertice pulsans.
Frons illis diuisa diu, tres temporis ossi
Distinctae partes inerant, quater occiput olim
Diuisum fructis fuerat, mox omnia dura
Euadunt et denticulis sibi fortiter insunt.
Ossibus hisce pericranium praetenditur extus,
Ossibus his subtensa meninx cerebro ne vel ossi
Sit connexa magis, dubium facit; ossibus istis
Omnibus est diploe rubris infarcta medullis.
Omnibus ex cranio producta foramina neruos
Emittunt aut vasa ferunt redduntque viciſſim.
Omnibus ad cerebri formam fossaeque sinusque
Insculpti vel vasorum referentia formas
Vel sinuum faciem vestigia pressa, locantur.
Mollia praeterea cerebrum tegumenta, meninges,
Obuoluunt arcteque ligant, vasisque ferendis
Impendent operam, vel tendine fortiter vrgent.
Dura meninx fibris, duplici quas lamina strato
Committit, constat, cranium radicibus actis
Alta subit cerebrumque suis suspendit habenis.
Peruia sanguifluis vasis: arteria passim
Missa carotidibus subtilia germina spargit
Respondent venae, cerebri quas viscere nullas
Conspicimus, sed queis tantum pia mater abundat;
Dura meninx illas patulis processibus haurit
Inque suis recipit sinibus; Falcatus easdem,
Qui cribro similis crista defigitur ossis,
Suscipit, et trabibus distincto defluit alueo.
In duplicem quoque vena sinum quam plurima praeceps,

Est

(Eſt transuerſali nomen,) ſub temporis oſſe,
Irruit; hic ſpatio, cauitate, volumine, magnus,
Abſorbet longumque ſinum reliquosque minores.
Torcular Herophili locus eſt, tria flumina magna
Longus transuerſusque ſinus, rectusque vocatus,
Quem ſubeunt, reliqui laterales atque petroſi.
Aut alii ſi qui cerebri baſin vndique complent,
In transuerſales, iugulari denique vena
Demerſos redeunt, et nomen ab oſſe capeſſunt
Vicino, ſed non numerus ſibi conſtat vbique.
Altera, quae molli cerebrum velamine cingit,
Eſt pia dicta meninx, cuius lamella ſuperne
Incumbens cerebro, nomen ſortitur ab illa
Quam teneris filis pertexit aranea tela.
Ipſa meninx cerebri gyros demerſa ſubintrat,
Hoc tenui velo vegetos arteria ſuccos
Diuidit internae de fonte carotidis hauſtos
Aut ceruicalis prolixo germine ſumptos;
Hic quoque vena redux, ceu dictum, plurima fertur
Inque ſinus ruit et iugulo ſe mergere pergit.
Poſt tunicas, cerebrum, res iucundiſſima viſu,
Apparet flexis per curua volumina ſpiris.
Exterior cinerum ſubſtantia tincta colore,
Interior niueo prorſus candore ſuperbit.
Sunt cerebri partes, ſunt hemiſphaeria magna
Proceſſu medio durae diuiſa meningis,
A paruis diſtincta lobis qui ſubtus in imo
Parte latent cranii; cerebellum ſede locatur
Diſtincta duplicisque lobi diſcrimina ponit,
Praecluſum ſepto cerebri, nec conuenit huius
Viſceris aut facies aut rerum conſonus ordo
Cum cerebro; lamella frequens diſponitur extus,

Arbo-

Arboribus ſimiles formas, pars intima fingit;
Tertia pars cerebri tandem oblongata medulla
Per medium diuiſa, baſi contermina caluae,
Neruorum genitrix, progreſſa foramine magno
Occipitis ruit, huic nomen prouincia mutat,
Spinalisque medulla nouo cognomine fertur.
Corpus calloſum cerebri candente medulla
Effectum, fit conſpicuum, praeſecta profunde
Si fuerit cerebri latis ſubſtantia cultris.
Ventriculi ſubſunt laterales anteriores.
Ducitur hos ſeptum pellucens inter vtrosque,
Cui fornix tribus eſt quaedam ſubtenſa columnis.
Ventriculis inſunt thalami, queis opticus exit
Neruus et obliquis oculos progreſſibus intrat,
Corpora ſunt illis quaedam duo dicta ſtriata.
Neruea progenies mediis intexitur illis
Chordarum facie, venit olfactorius inde
Neruus et in cribrum tenuiſſima vaſcula ſpargit.
Hinc quoque proueniunt crura oblongata medullae.
Eſt aliquis plexus dictus choroides, in alti
Ventriculis cerebri dum miro retia nexu
Perficit, et minimis turgeſcit ſanguine vaſis,
Et ſe ventriculo cerebri, qui tertius, infert.
Quadriiugum tuber proſtat, teſtesque natesque.
Adpellant; penis cognomine glandula pino
Aemula propendet; ſunt anus vuluaque, quarti
Ductus ventriculi, caſtis honor auribus eſto.
Eſt infundibulum, quo pituitaria lympham
Glandula ventriculis aliquam ſorbere putatur.
Ventriculo quarto cerebri ſe valuula magna
Praetendit, quem vermiculi productio quaedam
Infarcit ſpecie, titulos dedit alma vetuſtas,

Neſci-

Neſcitur rerum verus doctoribus vſus.
Inuerſo cerebro videas duo crura medullae,
Inueſtita pia iunctim duraque meninge.
Hinc et oliuares cum pyramidalibus vna,
Proceſſus adſunt, oblongae crura medullae.
Fiſſura coeunt, calamus ſcriptorius illi
A ſpecie fecit titulos, pons inde Varoli
Committit duplicem, quae iuncta, foramine magno
Exit et in ſpinae ſpatioſum voluitur antrum.
Tot cerebri viſcus faciunt miracula rerum
Tanta globo, vaſis farcto, teneroque ſupellex
Hinc coniectura vero propiore putamus
Viſcere tam pulchro tantoque labore parato
Humanae naſci primaria pondera vitae.
Nouimus a laeſo cerebro ſuccumbere ſenſum
Et motum, ſi quem praeſtat vis conſcia mentis;
Nouimus, hanc animam, dum, quid ſit, cogitat, intus,
In cerebro potius, quam viſcere quolibet vllo
Exercere ſuos, rationis legibus, actus.
Nouimus a cerebro neruorum ſtamina duci,
Nec latet, hos neruos celeri ſpiramine quodam
Ad ſenſum ſimul et motum faciente repleri;
Hiſce datis, animam cerebro reſidere ſuisque
Spiritibus partes in motum flectere conſtat.
Eſt aliquid praeter mentem, non tertia forte
Corporis humani pars, ſed mage mobilis humor,
Qui, veluti ſanguis dependet ab impete cordis,
Imperio cerebri paret, mentique miniſtrat.
Ille volatilibus magis actiuisque cruoris
Partibus abſcedit cerebro: Ceu glandula lympham,
Sic cerebrum nouit meliorem ſanguinis auram,
Quem ceruicalis tulit aut interna carotis,

Sele-

Selectu quodam structurae visceris aequo
Ducere perque suos tubulos immittere neruis.
Hanc aliquis cerebri motus, per dissita pellit
Viscera compulsumque mouet per membra rotatu.
Seu, quod dura meninx, cerebri seu venter, eandem
Exagitet, seu sponte sua fluat igneus humor,
Circuituque suo vitalia munia praestet.
Neruea progenies, vitalem partibus auram
Inspirans, cerebro partim longaque medulla,
Partim spinali prodit dimissa medulla.
Nascuntur paribus, duraque piaque meninge
Vestiti, tubulus dum neruum plurimus vnum
Efficit egregie tenuis paruisque capillis
Mensura minor et cerebri pleniissimus aura.
Sanguifluis equidem vasis circumfluus ille
Existit, videasque ferum de vulnere nerui
Ductibus exstillare suis; sed spiritus ille
Qui fluit e cerebro, propriis rapidissimus exit
Fluminibus quorum visibilis alueus haud est.
Ex cranio veniunt, prior olfactorius, alter
Opticus, hinc oculi motorius, ordine quartus,
Abducens illis indignatorius illis
Dictus, abhinc propior gustator neruus, ab vno
In tres discedit ramos, ophthalmicus vnus
Alter maxillae, lingualis tertius audit.
Externus motor sextus timidusue vocatur.
Intercostalis sua cui natalia debet,
Factus ab hoc quintique paris de germine quodam.
Septimus auditum praestat, dum dispare ramo
Molli cum duro, demergitur osse petroso.
Mollis in internam sua germina disiicit aurem,
Portio dura ruit sesque meatibus auris

Expli-

Explicat et tandem dimissa foramine quodam
Sub stilo simili processu temporis exit
Per buccas, oculum, frontem, diuisa genasque.
Octauus vagus est, illum, quem neruulus auxit
Ex ceruice redux, iugularis vena, viarum
Adsciscit socium, laceroque foramine caluae
Egressum ducit, qui collo sparsus vbique
Vicinas animat partes numerosaque spargit
Flumina spirituum, capit inde larynxque pharynxque
Immensam sobolem; sunt nodi ganglia dicti,
Alter ad egressum nerui, prope corda secundus.
Ille ruit collo, magni comitantur eundem
Sanguiflui riui, iugularis vena, carotis,
Et vaginali tunica clauduntur eadem.
Pectora quam primum subiit, mirabile dictu,
Oesophagi metitur iter per guttura retro,
Intorquens ansam circum subclauia vasa
Dexter si fuerit, sed circa, laeuus, aortam.
Retrogradi coeunt intercostalibus vno
Commissi nexu. Fiunt hoc foedere plexus
Cardiacus primus, dictus pulmone secundus
Tertius a stomacho; vagus hic subsistit et vltra
Ire negat; varios intercostalibus ille
Largitur ramos quo fiat in hepate plexus,
Atque lienaris plexus formetur abinde.
Intercostalis, postquam, qua parte carotis
Introiit caluam, calua processit ab ima,
Efformat tuber seu primum ganglion, inde
Per collum ruit, hinc variis spinalibus auctus
Germinibusque vagi diues, tot ganglia format
Quot costas thorax numerat, quae singula neruum.
Inde capit, tandem septum pertundit et imo

Ven-

Ventre ruit, dum coeliacum dat germine plexum
Atque meſentericos duplices, hypogaſtricus illi
Debetur plexus: Prope ſingula corpora ſpinae
Ganglion exiſtit. Dum denique coccygis oſſe
Terminus eſt; omni ſparguntur germina pelui.
Denique par nonum cranio diſcedit et omni
Immerſum linguae, titulum regione meretur
Par linguale vocant, aliis hypogloſſus habetur.
Hi cerebro veniunt. Quam primum longa medulla
Exit et occipitis delapſa foramine magno
Progreditur, longo ſpinae dorſalis in antro
Labitur et ſacri ſub finem deſinit oſſis.
Spinalis titulo veniens cerebrique meninge
Inueſtita ruit duplicataque fertur, at illi
Mittit aorta frequens ſalientis germina vaſis
Venaque multa redit, ſiquidem laterale foramen
Vertebra de quatuor viginti ſingula format.
Hoc redeunt venae, neruis ſpinalibus illud
Per collum dorſumque patet. Tunc vertebra colli
Septenis paribus neruorum ſuggerit ortum
In ſcapulas, humeros miſſis coſtasue ſupremas.
Hos inter videas phrenicum, diaphragmate merſum,
Et qui cum ſummis neruis dorſalibus vno
Commiſſi plexu ſummam mediamue vel imam
Prole manum complent. Dant illis brachia nomen,
His faciunt axilla nouos, cubitusue vel vlna
Aut radius, titulos, cutis his, his muſculus omnis
Neruifluo ſucco vitalem ſuſcipit auram,
Donec in extremos digitos vas exeat omne.
Dorſales bis ſex nerui ſe pectore toto
Diffundunt interque fluunt coſtalia vaſa.
Intercoſtalem tangunt, pleuraeque cutique

Pecto-

Pectoris aut mammis mittunt subtilia vasa.
Lumbares nerui numerantur quinque; supremus
Accedit phrenicis, reliquos abdomine sparsos
Intercostali iunctos, cruralibus ortum
Praestantes videas. Cruralis ad inguina neruus
Labitur, et sacro ramos adsciscit ab osse
Sanguifluisque comes vasis abdomine prodit
Per femur Anticum, qua sub cute vena saphena
Adscendit mediumque pedem decurrit et imum.
Ex sacro celebrant alii natalia nerui,
Extremis binis neruis lumbaribus aucti
Ischiacum magnum faciunt aliosque patente
Dispersos pelui vel si quos musculus omnis
Illius regionis habet, quos viscera peluis
Matrix vel vesica capit, testisue virilis.
Ischiacus tandem qui totam prodigus haurit
Spinae dorsalis sub coccygis osse medullam,
Postico dum crure ruit sub poplite flexus,
Germinibus totidem totidem quoque nomina sumit,
Tibia dat cuidam, cuidam dat fibula nomen.
Suralis medius sub tendine mersus Achillis
Plantaris dictus, digitis vaga germina mittit.
Hac serie nerui decurrunt corpore toto
Legeque consueta vasis, subtilia spargunt
Germina; Progressu tandem decrescere visus
Singulus, extremis sensum fugientibus exit,
Fibraque fit motrix, vel lata volumina spargens
Fit cutis et teneris Malpighi rete papillis,
Implet, habent alii fines in viscere quodam,
Pars abit in villos et concaua corporis intrat
Organa vitalesue cibos adspergine tingit,
Glandula fit passim; varii pars, organa sensus

Expanſis tunicis facit, obiectique valorem
Percipit attactuque rei commota tremiſcit.
Eſt aliquod neruis fluidum; Lex comprobat illud
Qua fruitur neruus cum vaſis ſanguinis, vna.
Diſcurrit ſimili neruus per membra meatu.
Omnibus vna via eſt, arteria venaque neruos
Adſciſcit comites nec terminus omnibus impar.
Sit vacuus fluido neruus, quae poſſet ab illo
Commoditas naſci? nullo demergitur oſſi
Tendine, quo poſſet forſan valuiſſe trahendo.
Interea praeſtat vitalia munera neruus,
Materiemque vehit, quam nulla volumina certis
Adſcribunt titulis certis aptantque figuris.
Eſt fluor immenſe tener et velut igneus aether
Effectu magis apparens quam corpore quodam,
Cui celer ingenti contingit vortice motus,
Ignea cui virtus cui motus ſumma facultas.
Ὁρμὴν τας vocitent alii, velut impete quodam
Partibus illapſas, animam qui dicere nolint,
Principium vitae clament, Archaeus ab illis
Nerueus humor ab his dicatur, ſpiritus eſto,
Ingenio valeant alii, prouincia detur.
Multiplicent animas, res vna ſubinde notatur
Nomine diuerſo. Fluor eſt qui vaſa pererrat.
Sanguis origo fuit, ſanguis quoque terminus illi.
Nempe carotidibus per fila tenerrima ſparſis
Naſcuntur cerebro glomeres, denſique racemi
Sic coeunt, veluti dependent vitibus vuae.
His tenuis ſanguis, propulſus robore cordis
Deponit tenuem lympham partesque fugaces
Spirituum titulo, nullo motore ruentes,
Dum ſe quaeque ſuas agilis circumrotat axes.
An, ceu purpureos cor diſiicit impete fluctus,

Sic

Sic quoque dura meninx, quae muſculus eſſe putatur,
Impellat cerebri riuos motumque miniſtret?
Res tenebris immerſa manet; nec vulnera caluae
Viſa docent vllis duram tremuiſſe meningem.
Nec tamen a vero procul eſt, ſtrictiſſima nerui
Vincula, membranas duraeque piaeque meningis,
Accelerare viam; forſan quoque ganglion vrget.
Et nerui ſtructura tenax, circumflua vaſa
Sanguinis et minimi menſura tenerrima vaſis.
Influxus dubio procul eſt; qua lege recurrat,
Principiumque ſuum repetat fluor igneus ille,
Quaeſtio mota fuit; ſeu quod ſe nerueus humor
In tenuem lympham quam paſſim glandula plorat,
Inſinuet, venas repetat, poſt ſanguine mixtus
Infuſus cordi, pulſante carotide, primos
A quibus exierat fontes penetrare putetur.
Venoſusque cruor vitales ſorbeat ignes,
Siue quod includat diuerſos neruus eodem
Faſciculo ductus, ferat hic aſt auferat ille;
Exiguas celer ille moras deſcribit eundo
Circulus, et partes peruadit fulguris inſtar.
Dum ſic circuitu per corporis organa fertur
Spiritus et celeres pelluntur ab orbibus orbes,
Vitales actus facit a ratione remotos,
Hinc ſolidas pellit motus primarius autor
Arbitrio mentis partes et robora flectit.
Conſiliis animam iuuat et ſenſoria curat,
Nec tardos patitur ſubſiſtere velle liquores,
Quin agat et morbi cauſas de limine pellat,
Dum paſſim madidos e corpore proiicit imbres.
Hinc, ſi quid natura poteſt, vox nota, vocari,

Cui Deus ingentes vires in corpus agendi
Dotibus adſcitis vel connaſcentibus auxit
Quo ſibi ſufficiant animantia ſingula ſolis,
Lucrentur vitam, fiant ex prole parentes,
Nerueus eſt humor; brutis animantibus ille
Obſequioſus ineſt, ſeu contempletur eorum
Inſtinctus aliquis, vel acuti robora ſenſus.
Adſueuit dominae mentis ſic denique iuſſis r)
Spiritus humanus, vt dum regina voluntas
Imperat, obſequium praeſtent vitalia membra.
Sicut equus facilis domini mandata regentis
Et capit et peragit virgaeque tremiſcit ad vmbram;
Hinc quoque, dum ſomni demulcent otia corpus,
Et mentem capit alta quies, repetita diurnos,
Spirituum luſu, motus praeſentat imago.
Talibus officiis excellit nerueus humor,
Nobilitate pares cui toto corpore nulli
Decurrunt fluuii. Si quis quam proximus illis
Eſſe poteſt humor, germanum ſi quod habetur
Spiritibus fluidum, nihil his coniunctius vnquam
Eſſe

r) Lucr. Libr. III. v. 557.
Denique corporis, atque animi viuata poteſtas
Inter ſe coniuncta valent, vitaque fruuntur.
Nec ſine corpore enim vitaleis edere motus
Sola poteſt animi per ſe natura, nec autem
Caſſum anima corpus durare et ſenſibus vti.
Cl. Claud. de IV. Conſ. Honor. v. 232.
Et, cum non aliter poſſent mortalia fingi,
Adiunxit geminas, illae cum corpore lapſae
Intereunt, haec ſola manet, buſtoque ſuperſtes
Euolat, hanc alta capitis fundauit in arce
Mandatricem operum, proſpecturamque labori.
Illas inferius collo, praeceptaque ſummae.
Paſſuras dominae digna ſtatione locauit.

Esse potest lympha, quam lucida vascula mittunt.
Lymphaticas vocitant venas vel vasa serosa.
Sub cute pars deducta latet, pars pinguia vela
Diuidit et succis cellas melioribus implet.
Fontibus exsurgunt variis, arteria partem
Vltima dimittit, maiorem glandula sudat,
Pars faciles vndas in concaua viscera mittit.
Lympha saliualis demulcet fontibus ora
Oesophagi liquor est, stomacho suauissima lympha
Defluit et villis laticem sudantibus exit,
Intestinalis liquor et pericardicus humor,
Vndaque, quae tunica ventrem cingente resultat,
Et pleurae liquor, et subtilis seminis aura,
Et diuersorum tenuis mucedo cauorum.
Pars abit in venas, pars omni viscere ventris
Confluit in loculum, quam pinguis capsula renum
Obuoluit velo, ductus thoracicus illam
Viscеribus refluam communi gurgite mergit
Chylo concurrente nouo; subclauia vena
Collectam dextra cordis demergit in aure.
Lymphaticas venas omnes, quascunque videmus,
Valuula distinguit breuibus interstita nodis.
Glandula fons lymphae, facie non discrepat vna.
Sunt minimae quaedam, fugiuntque volumine visum
Lex tamen est: nullam, nisi glandula fecerit illam,
Secerni lympham, si quae maiuscula prostat,
Simpliciore globo formata, globata vocatur
Qualibus instruitur regio subclauia, quales
Inguinibus, nucha, lumbis dorsoque locantur,
Quasue mesenterium quas intestina minores
Intus habent, queis articulos interfluit humor.
Conglomerata glomos varios committit in vnum

Circumducturam tunicarum compede vinctos,
Instructas ductu. Variis incognitus vsus
Densa nocte latet, quem postera saecula forsan
Inuenient ferosque manet laus ista nepotes.
Quas thymus et quorsum, quo ductu, segreget vndas
Quos habeat iugulo thyroides glandula fontes?
Plena dies reliquis affulget, in ore saliuam
Secernunt aliae, lachrymas, sine nomine dicta,
Depluit, exiguis oritur cerumen in aure.
Pancreas has inter dici Regina meretur.
Omnibus e quatuor vasis corpuscula fiunt,
Neruulus est illis, totusque absumitur illis
Sanguine turgescunt; arteria prospicit illis
Sunt, et vena redux lymphamque vehentia vasa.
Dumque cruor pulsu cordis per vascula fertur,
Paruus apex vasis duras in sanguine partes
Et salsas alias angusto limine pellit,
Infundens tenues in lymphae vascula succos.
Filtra foraminibus veluti tenuissima tantum
Flumina demittunt, crudo remanente liquore,
Sic quoque lympha suo pasim de fonte scaturit,
Quoque prius fuerat, repetit, demissa, cruorem.
Circulus est illi, nec abest praeclarior vsus.
Nutritas partes meliori flumine complet,
Hinc pueris, quibus augmentum nutritio praestat,
Glandula maior inest, lymphae quoque copia maior.
Effusam pingui velo cellisque locatam
Asseruat natura sagax, quo, tempore morbi,
Dum nihil appetimus, nec venter concoquit escas,
Pinguis adeps redeat, vasis sorbentibus haustus.
Hinc macies morbos et flaccida membra sequuntur.
Talis inest adipi, qui sub cute corporis omni

Ster-

Sternitur. Omento talis collecta tenetur.
Materies talis pasſim, prope maxima vaſa
Articulos nexos, cellaque locatur in omni,
Perque meſenterium perque inteſtina, per illam
Quae ventrem cingit, tunicam, duplicataque quaeuis
Corpora luxuriat, talem ſe muſculus omnis
Inter habet, motrixque natat pinguedine fibra.
Nec manet illa diu cellis, ſed circulus illi
Eſt aliquis, repetitque ſuum pinguedo cruorem.

CAP. VIII.

SECRETIO HVMORVM.

Aſt aliae glandes effoetos corpore ſuccos
Proiiciunt, abiguntque ſales et terrea quaeuis
Corpora conueniente loco de limine pellunt.
Actio quae pellit nocituros ſanguine ſuccos
Ad vitam facit, aſſeruat redditque ſalutem,
Laeſaque fit morbus, ſpecies non omnibus vna,
Nec locus aut tempus vel fuſus conuenit humor.
Ipſe cruor quandoque fluit, redit actus in orbem
Lunaris fluxus, ſequior niſi ſanguine ſexus
Mulctetur dum floret ei iuueniliter aetas,
Haud valet, et morbi ſpecies eſt cauſa ſalutis.
Hic eſt ille cruor, quem poſtquam puberis anni
Terminus accesſit, fundit matura virago,
Cum referat natura vias matricis, et intus
Sanguineas rubea guttas adſpergine plorat;
Non tamen eſt vterus tantum, qui menſtruá fundit,
Vaginam videas pertuſam fontibus eſſe
Queis, quatuor ſeptem vicibus ſe ſole leuante,
Effluit innocuus vitioque remotus ab omni

Sanguis et effuso muliebria corpora mulctat
Flumine: Bis septem primus labentibus annis,
Haud raro citius, nec raro tardius illis
Sanguis abit, venerique parem notat esse puellam
Quae mirata nouos nunc primum percipit ignes,
Oua parit primum turgenteque pectore mammis
Luxuriat, meliore suas nunc sanguine venas
Obtinet impletas, quam corporis exigit vsus.
Copia si qua nocet, vacua matrice, cruoris,
Exit, et in foetus alimentum vertitur olim.
Per septem fluit ille dies, comitanteque febre
Irruit, hinc molli corpus calet igne, ruuntque
Purpurei primum fluctus, post lympha serosa,
Nec cessant veteris lunares ire liquores
Quam decades fuerint annorum quinque peractae.
Si qua parit multum, citius quandoque remittit,
Foemina, tarda suos celebrat, quae florida, menses.
Ast maribus secus est, nihil his natura cruoris
Detrahit, his turpe est solui lunare tributum,
Nec fluit his, nisi per morbos Haemorrhois ano.
Crassior et salibus terraeue remixtus arena
Vrinae titulo destillat renibus humor.
Glandula sunt renes, qua maior nulla globata
Corpore conspicitur, pleno pinguedine velo
Tecta latens, vasis aliis, quae sanguine turgent,
Neruifluis aliis, aliis instructa serosis.
Vertebra lumbaris phrenicam quae corpore carnem
Excipit his etiam sedem designat vtrinque.
Nectuntur dexter iecori laeuusque lieni:
Colon vtrinque suo supplens hypochondria flexu,
His quoque membrana pingui mediante cohaeret.
Forma fuit dispar quondam, glomerataque natis.

Diuisi

Diuiſi renes, lobulis, dum naſcimur, extant.
Forma magis ſimplex Renis ſpectatur adulti.
Parte caua proles magnae ſe mergit aortae,
Diſtribuitque ſuos ramos, exilia vaſa
Committens tubulis renum, queis lotia ſtillant.
Ni medius quis vtrinque ſtatus, quem glandula formet
Inſit et ex acinis vrina ſcaturiat iſtis;
Ex tubulis primas paruis vrina papillas
Intrat, ab hinc bis ſex, tribus inde canalibus omnis
Influit, hinc peluim ſubit, vretereque longo
Depluit atque cauo veſicae confluit omnis.
Vrinae poſtquam ſanguis ſe mole leuauit,
Influit in reduces venas, ſed tardior exit,
Terreus atque ſui priuatus parte fluoris,
Propterea, veluti paſſim ſe glandula venis
Inſinuat lymphamque ſuam deponit in illas,
Spurius eſt aliquis veteri ren nomine dictus,
Supra renalis melius nunc glandula dicta.
Atra dedit bilis titulum liquor ille putatus,
Creditus antiquis fuit hac ſe ſede locaſſe.
Hinc non ante cauae venae demergitur alueo
Rene redux ſanguis, quam deſtillauerit iſta
Capſula turgentes meliori glutine ſuccos.
Adiacet haec reni ſummo, vaſisque cohaeret
Omnigenis, medioque cauo diſtinguitur intus,
Fuluus ineſt humor, qui ſe cum ſanguine miſcet
Per venam, qualem pro paruo corpore magnam
Poſſidet; his lentus ſanguis ſe diluit vndis
Si faciem videas eſt forma triangula quaedam.
An foueat teſtes et ſpermatis adiuuet vſum,
Reſtat in ambiguo, ſententia prima probatur.

Lotia rene ruunt et in vreteribus vltro
Obliquo tractu descendunt peluis ad antrum.
Hi media cum spermaticis pinguedine vasis
Delapsi se vesicae ceruice recondunt.
A renum pelui Psoadem super exit vterque,
Quem tunicae faciunt quem membranacea prima
Tendineaeque tenax stratum motricibus auget
Praetensum fibris, quem tertia peruia succis
Instruit, hic lentas destillat glandula guttas.
Hinc medias tunicas Vesicae findit vterque,
Et subit et salsos infundit vtrinque liquores;
Dum praetensa, fores, lunari valuula tractu
Claudit et acceptas membrana praestruit vndas.
Ipsa capax pelui residet vesica, suisque
Compedibus constante situ deuincta, tenetur.
Vrachus, in foetu qui quondam lotia duxit,
Inque secundinas minxit, nunc tendine forti
Suspensam tenet, accedunt lateralia iunctim
Vincula, nempe duplex arteria, peruia quondam
Nunc occlusa viis, patulas quas obtinet olim.
Praeterea vesica latet pinguedine densa,
Et maribus recto tenet, est contermina matrix,
Foemina si fuerit, mediisque interiacet illis.
Hinc qua parte tumet, *fundus* qua parte ruentem
Efficit vrethram, *collum*, vesica vocatur.
Efficiunt illam tunicae, membrana superne
Tenditur et mediis cellis pinguedine plenis
Fulcitur, sequitur diuerso carnea tractu
Fibra, cauum cingens, dum fundum circulus ambit,
Transuersae tandem fibrae lateraliter adsunt;
Contrahit his vesica cauum, dum lotia pellit,
Intima diuersis patefit membrana lacunis,

Glan-

Glandula ſparſa ſubeſt lenta muccedine farcta,
Ne teneram tunicam corrodat feruidus humor.
Dum quoque ſanguineos arteria venaue fontes
Datque capitque ruens, nec nerui copia parca.
Iliacis veniunt omnes abeuntque viciſſim.
Denique, quas veſica diu collegerat, vndas
Ponderis impatiens pellit, ſphinctereque laxo,
Qui circumductis fibris ſub fine locatur,
Mittit in vrethram ſalſas et proiicit vndas.
Bulbo cauernoſus transuerſus et accelerator
Muſculus impellunt Litrique triangulus, vna.
Nempe voluntati parent et mente iubente
Aut reſerant riuos aut illos obiice claudunt.
Tunc vrethra premit ſalientia lotia niſu,
Et, ſi mas fuerit pars tertia penis habetur.
Et rigido bulbo veſicae limina tangit,
Atque cauernoſo rigidam ſe corpore praeſtat,
Internaque madet tunica, crebrisque lacunis
Exſudat lentas conſtanti fomite guttas.
Et protenſa, caput penis glandemue miniſtrat.
Foemina ſi fuerit breuiori ſola meatu
Lapſa foris mediisque madens interflua nymphis,
Illa cauernoſo munitur corpore circum
Nec motrice caret fibra, nec glandula nulla
Effundit mucos et lentae flumina lymphae.
Lotia principiis gaudent, queis ſanguis, iisdem,
Terra, ſales, inſunt, eſt inflammabile quoddam,
Lucida flamma ſubeſt, calor eſt vitalis in illa.
Haec ſincera graues depellit corpore ſuccos.
Illa docet ſanumue ſtatum morboſue cruoris,
Alba fit a potu digeſta floret ab eſca,
Purpureoque magis ſaturata colore ſuperbit.

Copia

Copia magna ferí de ſanguine renibus exit.
Vberiore tamen fontes epidermidis imbre
Deſtillare ſolent, ſubtilia Vaſcula paſſim
Miſſa cuti tenues exhalant vndique fumos.
Vel ſudore madent guttasque adſpergine plorant.
Id circo paſſim cutis eſt diſtincta papillis,
Quas videas ſignare locum, quo glandula quendam
Emiſit tubulum. Media cute paruulus ille
Millibus exſurgit nodis reſeratque patentes
Luxuriante fero ſparſos epidermide ſulcos,
Dum calet et magnis arteria pulſibus vrget,
Vnde ſalutiferi ſudoris feruidus imber
Depluit atque ſales nocituros corpore pellit.
Praeterea vapor eſt tubulis epidermidis halans,
Fontibus exſurgens aliis: arteria nempe
Vltima fit tubulus de multis millibus vnus,
Qui ſpecie fumi tenues e ſanguine ſuccos
Vorticibus paruis equidem ſed pluribus haurit.
Continuo ſpirant ſanis, ſtaticaque docente
Plus cute ſecedit liquidi, quam renibus vnquam,
Hac natura via fluidi ſolidique bilancem
Seruat et affluxus ſimiles effluxibus vrget
Et cute perſpirans varios e corpore morbos
Pellit; habent anni, ſtationes, auraque ſolque,
Et vitae genus, imperium; plus ille vel ille
Tranſpirat, plus, halat Afer, minus incola terrae
Quam boreas gelidis horrentem flatibus vrget.
Nec cute ſe tantum vix ſenſilis eleuat humor
Sed quoque mite ſerum ſpirantia pectora fumant,
Quod pulmone ruit dum ſpiritus exit in auras.
Sanguinis illius, quem pulmo follibus vrget
Portio tranſpirat diffuſaque bronchia late

Subti-

Subtiles latices reserata glottide pellunt.
Hæc sunt quae vitam faciunt, vegetamque salutem
Circuitu liquidi praestant, sed nescius horum
Est animus, patitur fieri, fultusque ministris
Spiritibus, fruitur vegeto cum corpore nexu.

CAP. IX.

OPERATIO MENTIS.

Dum ratione potens animales Spiritus actus
Explicat et sensus externos, quinque ministros
In sua iura vocat, prolixam colligit extus,
Materiem veri, collecta cogitat intus. [1])
Neruus vt e cerebro prior olfactorius exit,
Sic prior olfactus fragrantia corpora sentit
Halantesque sales errantes aere passim [2])

Attra-

1) Lucr. Libr. IV. v. 484.

Quid maiore fide porro, quam sensus haberi
Debet? an ab sensu falso ratio orta valebit.
Dicere eos contra, quae tota a sensibus orta 'st
Qui nisi sint veri, ratio quoque falsa sit omnis.
An poterunt oculos aures reprehendere? an aureis
Tactus? an hunc porro tactum sapor arguet oris?
An confutabunt nares oculique reuincent?
Non (vt opinor) ita 'st, nam seorsum quoique potestas
Diuisa 'st: sua vis quoique 'st.

Lucr. Libr. IV. v. 726.

Nunc age, quae moueant animum res, accipe, et vnde,
Quae veniunt, veniant in mentem, percipe paucis.
Principio hoc dico, rerum simulacra vagari
Multa modis multis in cunctas vndique parteis.

2) Lucr. Lib. I. 299

Tum porro varios rerum sentimus odores
Nec tamen ad nareis venienteis cernimus vnquam
Tangere enim et tangi nisi corpus nulla potestas.

ib.

Attrahit et patulis diffusos naribus haurit.
Hinc cerebrum, sensus communis regia sedes,
Effluuiis similes, neruo vibrante, tremores
Percipit, hinc animus vel foetos odit odores,
Et, quibus exhalant, a se cupit esse remota,
Corpora, vel gratos versus inclinat odores,
Obiectoque fauens, amat illud et appetit illud.
Propterea sapiens nasum super ora creator
Constituit sit vt olfactus sub limine vitae
Ingenuus custos, iudex monitorque ciborum,
Foetida dissuadens, nocitura putredine nobis
Suauia principiis vitae conformia suadens;
Rem docet euentus, grato recreamur odore,
Spiritus applaudit, tunc his contraria fiunt,
Foetida si fuerint; quorum contagia leges
Perturbant vitae, quare pulmonibus arcet
Adducto velo foetentia cuncta palatus.
Auertitque grauem putridis effluxibus auram,
Innocuumque trahi patulo docet aëra naso.
Ossibus ille suis duplici caua fornice format.
Quae nasum faciunt nexu sunt ossa sequente:
Osque duplex nasi, duo maxillaria summa,
Vomeris os vnum, cribrumque foramine multo
Pertusum, sinubusque cauum flexumque volutis,
Turbine distinctum triplici; duo iuncta palati

Ossa

ib. Libr. III. v. 222.

Bachi cum flos euanuit, aut cum
Spiritus vnguenti suauis diffugit in auras:
Aut aliquo cum iam succus de corpore cessit:
Nil oculis tamen esse minor res ipsa videtur
Propterea, neque detractum de pondere quicquam:
Nimirum, quia multa, minutaque semina succos
Efficiunt, et odorem in toto corpore rerum.

Oſſa nec vnguiculi deſunt, lachrymaleque ducunt
Ex oculis fluidum patulo mediante canali.
Denique bina, quibus largitur ſpongia nomen
Accedunt; tanto naſum natura labore
Effecit camerasque duas diſtinxit vtrinque,
Perque palatinos naſum cum fauce meatus
Compoſuit, ſepto duplicem diuiſit hiatum
Et varia nares inſtruxit carne mouente.
Spiſſa tenax multumque rubens et ſanguine diues
Per naſum membrana patet, lateque vagatur,
Cui nerui ſegetes ſpargunt, ſenſuque valente
Praedita, cui titulos excreta pituita fecit,
Quae nares, dum luxuriant ſalſugine, mungit,
Haec fluit in fauces et abundans ore ſcreatur.
Olfactum facit haec dum tractos figit odores.
Irrigat hanc patulis quae paſſim naribus extat
Glandula dum lentos ducit de ſanguine ſuccos.
Nec tantum naſi cameris vel turbine cribri
Schneideri membrana ruit, ſed longius exit
Et patulo velo contermina permeat oſſa,
Frontalesque ſinus, cuneo ſimilisque per oſſis
Maxillaeque ſinus ſinuoſo tramite tendit.
Neruus ab olfactu nomen ſortitus eidem
Totus ineſt, cinctus duraque piaque meninge
Immerſusque foraminulis quae plurima cribrum
Pertundunt, nares numeroſo germine complet.
Huc quoque de quinto, qui guſtatorius audit,
Deflectit ramo, neruus, qui congener ortu,
Intercoſtalem tangit: conſentit abinde,
Si quandoque ſerum nares medicinaue purgat,
Conuulſum diaphragma ſimul, quatit, vrget aortam
Quo cerebrum verſus ſanguis ruat impete magno

Et

Et valido niſu mungantur vaſcula lymphae.
Hinc ſternutantes demulcet blanda voluptas.
Eſt oculis nexus cum naſo, ſcilicet illi
Depellunt lachrymas punctis lachrymalibus, atque
Naſalis ſacci, tenero qui ſculptus in vngue eſt,
Imbre luunt nares et ſalſo flumine complent.
Proximus eſt oculi neruus thalamisque gemellis
Egreditur cerebro. Septenis orbita facta
Oſſibus immerſi cuſtodit viſcera bulbi.
Heic oculus celebrat viſum ſparſosque per auram
Lucentes radios propius longeue remotos
Per tunicas oculi pellucentesque liquores
Immiſſos tremulus ſentit, mentique colores
Imprimit et rerum formas in imagine ſentit.
Orbita fit ſeptem diuerſis oſſibus, illam
Os frontis facit et cribri pars planior, vnguis,
Osque zygomaticum, baſilaris portio, ſummae
Portio maxillae nec non pars parua palati.
Orbita fiſſuram patitur neruosque per illam
Accipit; hac oculus tutus ſedet atque mouetur,
Quem cutis obducit denſis obſeſſa capillis,
Atque ſupercilium ſinuoſos flectit in arcus.
Dumque ſupercilii depreſſor muſculus vmbram
Efficit atque riget Ciliorum ſylua capillis,
Lux moderata ruit, bulbusque a puluere tutus
Aut aliis, ſi quae poſſent illapſa nocere,
Redditur, hinc gemino velo palpebra ſuperſtat,
Margine quae riget atque pilis circumſita ſqualet.
Haec referat, claudit, radios admittit et arcet.
Muſculus eſt illam circum conſtrictor vterque
Tendine defixus naſo; palpebra tenaci
Fulta ligamento iacet, eſt immobilis ima,

Summa

Summa ſuos motus, dum muſculus eleuat illam
Nictibus alternis praeſtat, ſomnoque ſepultis
Clauditur et tarſos rigidos committit in vnum.
Margine palpebrae ciliaris glandula ſudat
Diſtinctis tubulis Lemas, nam profluit humor
Mucidus atque tenax, cuius lentore tenetur
Cardine clauſa ſuo, rurſusque leuata fatiſcit.
Interiore lobo, ſubpalpebralia vaſa
Efficiunt rubeam tunicam, quae cingit ocellos.
Haec, albugineam prope, coniunctiua vocatur
Queis communis ineſt vaſorum ſanguinis vſus,
Irrigat hanc lachrymale ſerum, dum glandula quædam
Nomen habet dum nomen abeſt, ſine nomine dicta,
Affundit bulbo ſalſas mediocriter vndas.
Conglomeratarum faciem tenet; illa ſub oſſe
Frontis ad externum media pinguedine canthum
Mergitur, inde foraminibus circumfluus humor
Ad faciles oculi motus celeremque rotatum
Depluit vberiorque fluit, ſi quando pathema
Cor mouet et magnos in ſanguine concitat aeſtus.
Vnde genae fuſis madeant muliebriter vndis.
Has, oculo circumfuſas, lachrymalia puncta
Interno propius cantho defixa, canali
Committunt aliquo, qui naribus exit vtrinque.
Ductus naſalis, qui proſtat in oſſibus vnguis
Pandit iter lachrymis et ſordes luminis haurit.
Mobilis eſt oculus, viſum venientibus vltro
Obuertens radiis et figens lumina rebus.
Muſculus attollit quidam, ſed deprimit alter
Nomen ab officio datur, hic adducit, at ille
Abducit, medios motus exercet vtrinque
Obliquus geminus Trochlearis magnus et illi

Oppositus paruus: brutis est septimus vnus.
Omnes fissurae propius pinguedine surgunt.
Tendo tenet bulbum circumque locatur eundem,
Hinc albugineae tunicae celebratur origo.
Densa subest illi sclerotica, cornea dicta,
Anteriore loco, quo pellucente foramen
Efformat tunica; subtensa Ruyschia bulbum
Succingit, choroides ei subtenditur, illa
Pupillam facit et fibris fit mobilis iris.
Haec radios lucis patefacta foramine quodam
Accipit atque ligamento, ciliare vocato,
Efficit vt *lenti* coalescat vitreus humor.
Mobilis est iris quae fulgida lumina motu,
Dirigit et strictam pupillam tendine fulcit
Et referat, lucis fuerit si parcior vsus,
Vuea quam circum choroidis germina flectit;
Circulus est illi quidam de tendine factus,
Ex vasis alius. Choroidis denique quaedam
Lamina pigmento spissa nigredine tincto
Circumducta subest; bulbo facit illa colores.
Retina subsequitur, qua vitreus humor vbique
Cingitur; hanc praestant tenuissima neruea vasa.
Humor inest oculo varius, tunicisque tenetur,
Est aqueus quidam meliori sanguine natus
Fomite perpetuo stillans, quem paruula vasa
In cameras plorant oculi, bulbumque rotundum
Efficiunt lentemque rigant, his iris in vndis
Fluctuat, hae veniunt propriis ex fontibus intus.
Vuea perpetuos latices e sanguine stillat,
Diuersisque viis repetit; circumfluus humor
Surgit et absorptus per vasa renascitur idem,
Fitque nouus, nam circuitum celebrare putatur.

Lens

Lens fluor eſt clauſus cryſtallina, limpida vaſa
Intertexta ſibi tenet; haec, pleniſſima luce,
Corpore conuexo coeunt, cryſtallina theca
Includit lentem, quam vitreus excipit humor
Amplexuque fouet. Claris pellucidus vndis
Vitreus efficitur circumductaque locatus
Membrana, vaſis vnus fit millibus humor.
Exit ab obiecto rebus conformis imago,
Seu propriam fundant rutilantia corpora lucem [1])
Siue ſuperficiem peregrini luminis vſus
Depingat radiis, faciatue reflexa colores
Lux oculis veros alios et imaginis vmbra
Praegnantes, alios ſimulato lumine falſos,
Quales iris habet vel pennis picta palumbes [2]).
Hos a corporibus miſſos pellucidus aër
Diffundit late, qua cornea peruia lucem
Suſcipit et triplices, pupillae ductilis vſu,
Humores oculi radiis lucentibus implet.
Retina neruiſluis vaſis et ſanguine turgens
Diſtinctis rerum formis depingitur intus,
Inde tremit cerebroque facit de lumine ſenſum,
Corpora menſuris, numeris propiusue proculque
Stantia deſignat, deſiderat inde vel odit
Res animus, formans viſis meditamina rebus.
Ceu radii viſum faciunt, ſic aure tremores

1) Lucr. Lib. II. v. 794.
- - Nequeunt ſine luce colores
Eſſe,

2) Lucr. Libr. II. v. 800.
Pluma columbarum, quo pacto in ſole videtur:
Quae ſita ceruices circum, collumque coronat,
v. 805. Caudaque pauonis larga cum luce repleta eſt
Conſimili mutat ratione obuerſa colores.

Percipit auditus, dum diſſita corpora ſentit,
Tympana praecingens quoties membrana ſonori
Corporis effluuiis penitus commota tremiſcit,
Afficiturque ſonis variis reſonatque viciſſim.
Auris in externam partem, mediamue vel imam
Diuiditur, vacat officio pars ſingula certo,
Sunt Helices extus, ſunt antitragusque tragusque
Concha, ſcaphaeque ſinus auditiuusue meatus,
Qui petit obliquo reſonantia tympana flexu.
Auris tenſa riget ſurſum, motusque ſonoros
Aeris intus agit, dum muſculus eleuat illinc
Deprimit hinc aliquis; quaedam membrana meatum
Inueſtit denſaque cauum lanugine complet,
Multiplici ductu ſtillans cerumen amarum;
Glandula multa ſubeſt lenta viſcedine praegnans,
Seuaceis illis nomen, ne pulueris auri
Illuuies noceat, ne paruula muſca patenti
Irruat aut inſecta ruant, noceantque ruendo.
Oſſea pars illi quaedam, pars flexilis illi.
Temporis os iſthunc ſquamoſa parte meatum
Efficit, huic tenerum praetendit acuſtica velum
Officulis membrana ſuis ſuffulta, ſuaque
Ducta ſuper chorda, quam neruus acuſticus illi
Germine ſubtili de dura parte remiſit.
Tenditur officulis membrana, ſonoraque multum
Tympanon aeriis commota tremoribus implet.
Malleolus mediae membranae fixus inhaeret
Parte ſui longa; gracilem tria robora ducunt.
Muſculus, Euſtachii de ductu prouenit vnus,
Alter ab hoc ipſo ductu breuiuſculus exit,
Dumque trahunt, ſtringunt, membranaque laxior iſtis
Tenſa riget; ſed et oppoſitus laxator eandem

(Ex

(Ex auditiuo veniens, caro parua, meatu
Hinc ſubiens et malleoli ſe corpore figens
Ne nimium rigeat,) flexam in contraria ducit.
Mutuus articulus ſeu ginglymus incude mergit
Malleolum. Iuncto firmatur in incude ſtapes
Proceſſu, pueris os orbiculare tenellis
Articulum firmat mutatque profectior aetas
Officulum; ſtapes tandem, qua tympanon exit,
Ouali, quadam tunica mediante, feneſtrae
Inſiſtit, trahit hunc paruus, qui naſcitur intus
Muſculus, hinc videas paruis perioſtion eſſe
Oſſibus, irriguum diſtentis ſanguine vaſis.
Tympanon huic ſimili tunica praecingitur intus
Obducitque ſuas velo reſonante feneſtras.
Stapedis vna baſin tenet, haec ouale foramen
Dicitur et primis cochleae fit peruia ſcalis.
Veſtibulo patet haec, velut altera dicta *rotunda*
Proſpicit in triplicem labyrinthi parua canalem.
Eſt etiam patulum verſus protenſa palatum
Euſtachii tuba, qua tremulos immittimus auri,
Ore patente, ſonos, proceſſus temporis oſſis
Mammillae ſimilis variis per ſtrata cauernis
Finditur efformatque ſonis errantibus echo.
Intima pars auris Labyrinthi nomine conſtat,
Huius veſtibulum ſpiralibus oſtia pandit
Ductibus, et triplici cochleae fit turbine curuus
Hinc tres immergunt, maior, mediusque minorque
In duo diuiſi, ſulcis tribus, ora, canales,
Lamina diſtinguit ſpiras nucleoque repletas
Efficit, his aliquem duriſſima temporis oſſis
Portio, dicta *petrae*, patefacta foramine, neruum
Mittit, at oblonga cerebri venit ille medulla,

Et duplici ramo duro mollique ſubintrat.
Mollis in aure manet, durus, progreſſus ab aure
Perque foraminulum ſub ſtilo temporis oſſis
Emergens, facie longe lateque vagatur.
Parte facit chordam, malam pars cetera totam
Decurrit frontemue petit vel labra coronat.
Corpora ſi qua ſonant, diuerſo verbere pulſant
Aera vicinum motuque tremente laceſſunt
Aethereas vndas, concepto fluctuat aeſtu
Vorticibusque vagis torquetur mobilis aura.
Aequali velut vnda ruit percuſſa tremore,
Euoluitque ſuos paulatim concita fluctus,
Sic tremor aerius pro conditione modoque
Ipſiusue ſoni, vel quae ſe commouet, aurae,
Si tranquilla magis fuerit concuſſaue ventis,
Corpore digreditur, ſpatiis ſpatiisque vagatur,
Inque ſua poſitas ſphaera ſic percutit aures,
Vt ſimili pulſu ſimilis quoque fiat in aure,
Dum concuſſa tremunt reſonantia corpora, ſenſus.
Eſt quae ſignificet virtus in viſcere vocis
Inque ſono quouis, nulli ſine mente ſuſurri.
Grata placent, ſi nulla ſonos diſcordia turbat,
Diſplicet a numero diſcedens muſica diſcors,
Nec minus vlla nocet, mores turbatue voluptas
Quam ſi dulce melos diſtractas afficit aures,
Illa mouet mentem, faciles haec concitat intus
Ingenii motus et corda ferocia mulcet.
Eſt in voce valor, quo per conſueta voluntas
Signa patet, ſociique ſciunt nos velle loquendo.
Nec caret officio guſtus, dum lingua ſapores
Obiecti rapit et cupido diiudicat ore.
Carnibus illa ſuis, quae muſculus ipſa, mouetur,

Firma-

Firmatur radix hyoide immobilis osse.
Mobilis extat apex, et sicut flexa loquelam
Efficit, interpres animi mentisque ministra,
Sic quoque neruigenis, tectis cute, farcta papillis
Captos ore cibos sentit sorptosue liquores.
Spiritus hanc animat, dum nonus in ordine neruus
Prouenit oblongae postremus fine medullae.
Immersus linguae numeroso germine serpit,
Reticulare facit corpus, tenerasque papillas
Cancellis molli tectis Epidermide format.
Fonte saliuali per dorsum turgida spumat,
Dum sublinguales ramos externa carotis
Proiicit et linguam vasis salientibus implet,
Glandula queis glomerata cauo formetur in ore,
Vnde saliua ruat, [1]) reducem ranina cruorem
Vena sub externae iugularis flumine condat.
Nempe saliua sales sapidarum proflua rerum
Soluit et illarum liberrima Spicula reddit,
Quae valeant linguam pro conueniente figura [2])

1) Lucr. Lib. IV. v. 621.
Principio succum sentimus in ore, cibum cum
Mandendo exprimimus, ceu plenam spongiam aquai
Si quis forte manu premere, exsiccareque coepit.
Inde, quod exprimimus per caulas omne palati
Diditur, et rarae per plexa foramina linguae.
Haec vbi laeuia sunt manantis corpora succi
Suauiter attingunt, et suauiter omnia tractant
Humida linguai circum sudantia templa.

2) Lucr. Lib. II. v. 402.
Vt facile agnoscas ex laeuibus atque rotundis
Esse ea, quae sensus iucunde tangere possunt:
At contra, quae amara atque aspera cumque videntur,
Haec magis hamatis inter se nexa teneri;
Proptereaque solere vias rescindere nostris
Sensibus, introituque suo perrumpere corpus,

Pungere ſenſatas vel demulcere papillas.
Dulcia, blanditiis ſalium, ſed pinguia molli
Tecta placent muco, nec linguam fortiter vrgent,
Stringit acor neruos, linguam conuellit amaror,
Et ſi qui medii miſcentur abinde ſapores.
Eſt quaedam virtus animi, cognoſcere guſtu,
Conueniantne cibi, ſalibusue nocentibus obſint,
Illa ſalutiferas applaudit et appetit eſcas,
Si qua comeſta placent, ſimili cum corpore noſtro
Principio gaudent, ſtomacho grauis eſca futura,
Si qua ſapore facit, quo nauſea concitet artus.
Bruta magis ſapiunt, gratiſſima pabula guſtu
Diſcernunt, nocitura ſuis praeſepibus arcent,
Aſt homini nocet ingenium, nocet improba morum
Illuuies, laudant grauidae deliria menſae
Blandaque corrupto demittunt ore venena,
In caſſum natura monet: ſed nulla ſapores
Regula definit, placet huic quod diſplicet illi.
Denique conſilio, qui quintus in ordine tactus, [1])
Adiuuat ingenium, dum proxima corpora luſtrat
Atque ſuperficiem dignoſcere tentat eorum,
Aſpera num fuerint, acie vel acumine laedant,
Lubrica, laeuigie cedant, num diſpare flexu
Angu-

1) Aurel. Prud. Hamartig. v. 303.
Ipſe etiam toto pollet qui corpore tactus,
Palpamen tenerum blandis ex fotibus ambit.
Id. v. 326.
Quid durum, quid molle foret, quid lene, quid horrens,
Quid calidum gelidumue, Deus cognoſcere noſmet
Attactu voluit palpandi interprete ſenſu.
Lucr. Libr. II. v. 434.
Tactus enim, tactus, proh Diuum numina ſancta!
Corporis eſt ſenſus, vel cum res extera ſeſe
Inſinuat, vel cum laedit, quae in corpore nata'ſt.

Angulus efficiat variae diſcrimina formae,
Mollia contactu cedant vel dura reſiſtant.
Eſt eadem tactum faciens neruoſa papilla,
Illa ſuperficies rerum dum proxima tangit,
Contiguasque cuti palpat contermina formas,
Inde tremit neruus cute qui numeroſior extat,
Subſilit hinc cerebrum et nexu conſentit amico.
Corporis externi fines deſcribit vbique
Denſa cutis, non nuda iacens, epidermide tecta,
Quam tenues ſquamae faciunt cui rore madente
Mille foraminulis ſuccos vix ſenſilis humor
Irrigat, aut ſudor guttas adſpergine format,
Per quam germen agunt merſi pinguedine crines,
Parte capillata capitis vel ad inguina, denſi,
Dum radice caua ſurgunt propriique ſubinde
Circuitu ſucci pellucida corpora ſeruant,
Propterea variis vario diſtincta colore
Hirſuties, cui praemorſa radice ſenectus
Defluuium mouet, aut canos iubet eſſe capillos.
Vnguibus extremos digitos manuumque pedumque
Munitos natura dedit, radice tenentur
Neruigena, creſcunt fixis epidermide fibris.
Oſſeus eſt illis habitus, nec deficit vſus,
Praefixi digitis, apices munimine claudunt,
Auertuntque dolorificos a tendine motus.
Reticulare ſubeſt ablata epidermide corpus.
Illud in extremis manuum, digitisque volaque,
Conſpicuum magis eſt; ſubtili retia filo
Praetendens; mediis cancellis denſa papilla
Proſpicit et neruis ſenſum fugientibus exit.
Nigricat Aethiopi; niſi nigra cuticula forte
Pigmentum faciat calidae telluris alumnis.

Glandula Malpighiana ſubeſt, quam frigidus horror
Conſpicuam reddit, ſudor propullulat iſtis.
Ipſa cutis neruis et plenis ſanguine vaſis
Texitur, hinc videas neruos ſpinalibus ortos,
Qui cute demerſi numeroſo germine velum.
Efficiunt, ſenſu cutis hinc praepollet acuto,
Huic pinguedo ſubeſt paſſim, quam cellula denſis
Ordinibus commiſſa facit, dum ſanguis opimus
Ponit abundantes ſuccos oleumque ſuperſtes,
Et repetit, ſi pauperie nutritius humor,
Deficit, hinc macie deformia corpora fiunt.
Circuitu decurrit adeps, arteria cellis
Pingue vomit liquidum, venis ſorbentibus illud
Sanguineum flumen repetit, venit illud abitque.
Dumque cutim ſuffulcit adeps, contactibus illa
Molliter afficitur, vacuae pinguedine partes
Dum tangunt obiecta, dolent, nec gratior vllus
Eſſe poteſt tactus quam qui fit corpore pingui,
Nec tantum cutis eſt quae tactum perficit extus,
Sed datur internus quidam per viſcera ſenſus,
Quem tactus ſpeciem poſſes fortaſſe vocare;
Dum membrana cauis fluidorum pondera ſentit.
Sentimus cordis pulſus, arteria paſſim
Subſiliens teneras membranas robore pulſat,
Frigoris eſt aliquis ſenſus, ſenſusue caloris
Sentimusque vagos emoti ſanguinis aeſtus.
Viſcera morbificis cauſis contacta tremiſcunt.
Aſt ſano nullus rerum ſub viſcere tactus.

CAP. X.

DE SENSIBVS INTERNIS.

Sensibus instruitur mens immortalis,[1]) habetque
Materiem veri, quam solicitudine magna
Eruit e latebris passim de viscere rerum.
Siue sit in cerebro, seu toto corpore praesens
Spiritus ille ruat, sapiens, meditaminis Autor,
Coeli progenies, nobiscum traduce natus.
Corpora quae triplici naturae plurima regno
Prostant coelestesque globi, vastissimus aër,
Omnia, sunt totidem fontes, queis notio prima
Erui-

1) Lucr. Lib. I. v. 113.
Ignoratur enim quae sit natura animai,
Nata sit, an contra nascentibus insinuetur.
Lucr. Libr. II. v. 738.
In quae corpora si nullus tibi forte videtur
Posse animi iniectus fieri, procul auius erras.
M. Manil. Astron. Lib. IV. v. 886.
An dubium est habitare Deum sub pectore nostro?
In coelumque redire animas, coeloque venire?
v. 895. Exemplumque Dei quisque est in imagine parua.
M. Manil. Lib. IV. v. 923.
Ne contemne tuas quasi paruo in corpore vires:
v. 929. Quod valet immensum est. - - -
Sic animi sedes tenui sub corde locata,
Per totum angusto regnat de limine corpus.
Materiae ne quaere modum, sed perspice vires.
Lucr. Lib. III. v. 94.
Primum Animum dico, mentem quem saepe vocamus,
In quo consilium vitae regimenque locatum est
Esse hominis partem nihilominus ac manus ac pes,
Atque oculi partes animantis totius extant,
Quamuis multa quidem sapientum turba putarunt
Sensum animi certa non esse in parte locatum;
Verum habitum quendam vitalem corporis esse
Harmoniam Graii quam dicunt.

Eruitur; videas idearum ſtamina quaedam,
Quas nullus ſenſus dederat, meditamina quaedam,
Inſtinctus aliquos, ipſo cum corpore naſci.
Sed, niſi per ſenſus, nullarum conſcia rerum [1])
Mens ſatis eſſe poteſt, quapropter dirigit illa
Organon et paſſim conquirit ſtamina veri.
Tunc animi virtus *attentio* colligit omnem
Materiem, quae ſimplicibus conceptibus apta,
Fitque loco quodam cerebri, fortaſſe ſub eius
Parte medullari *perceptio;* dumque notantur
Singula, dum ſeries idearum naſcitur intus,
Interni ſenſus, mentis virtute, valorem
Cuiuscunque rei capiunt, captamque viciſſim
Committunt aliis, hinc ſi quae ſenſibus extant
Intellecta prius, memori virtute tenentur.
Aſt ſi quae noua ſunt diuerſis ſenſibus orta,
Introeunt animos et lumina mentibus addunt.
Eſt quaedam virtus animae, qua, ſi qua fuerunt
Senſibus intellecta prius, repetuntur, et apto
Tempore materiem meditandi pectore ſpargunt.
Non aliter, veluti quondam ſibi viſa videret
Nunc oculus, velut olfacerent ſpiracula naſi,
Buccaue guſtaret, tinniret in aure ſuſurrus,
Palparetue manus: Memor haec ſupplere facultas
Senſus ſaepe ſolet, redeunt meditamina prima,
Conceptusque nouus veteri commixtus habetur.
Iſta memor virtus, nec bruto in corpore nulla

A de-

1) Lucr. L. IV. p. 480.
Inuenies primis ab ſenſibus eſſe creatam
Notitiam veri, neque ſenſus poſſe refelli:
Nam maiora fide debet reperirier illud,
Sponte ſua veris quod poſſit vincere falſa.

A definito nerui cerebrique tremore
Prouenit, eſt reminiſcendi praeclara facultas
Altera iudicio ſuffulta, ſuperque futura,
Poſtquam corporei mortalia vincula nexus
Abſcedunt ſuperasque petit mens libera ſedes,
Altera, quae variis morbis mutatur obortis.
Conceptus rerum primi ſic pluribus aucti
Euadunt aliis, *intellectusque* valore
Compoſiti fiunt; variis ſtationibus itur,
Cogitat hinc animus, deliberat, explicat, aequat,
Hinc ratione valet, ſperato fine potitur,
Iudicat, auerſatur, auet, metuitque vel ira
Feruet, habet de quo gaudere dolereue poſſit.
Praeterea mentis certus cum corpore nexus
Ingenii vires, pro conditione modoque
Sanguinis atque ſeri varia ratione remixti
Temperat; eſt aliis facilisue tenaxue voluntas, [1])

Prae-

1) Lucr. Libr. III. v. 289.
Eſt etiam calor ille animo, quem ſumit in ira
Cum feruiſcit et ex oculis micat acribus ardor.
Eſt et frigida multa comes formidinis aura,
Quae ciet horrorem in membris et concitat artus.
Eſt etiam quoque pacati ſtatus aeris ille,
Pectore tranquillo qui fit, voltuque ſereno.
Sed calidi plus eſt illis, quibus acria corda
Iracundaque mens facile efferuiſcit in ira.
v. 308. Sic hominum genus eſt, quamuis doctrina politos
Conſtituat pariter quosdam, tamen illa relinquit
Naturae cuiusque animae veſtigia prima:
Nec radicitus euelli mala poſſe putandum 'ſt
Quin procliuius hic iras decurrat ad acreis,
Ille metu citius paulo tentetur, at ille
Tertius accipiat quaedam clementius aequo.
Inque aliis rebus multis differre neceſſe 'ſt
Naturas hominum varias, moresque ſequaces,
Quorum ego nunc nequeo coecas exponere cauſas
Nec reperire figurarum tot nomina, quot ſunt.

Praecox ira, metus, ſapientia, cura futuri
Temperiem veteres vocitant, ſi ſanguine nullus
Lentor ineſt, agilesque ſales rotat igneus humor,
Vaſa patent fluidis, ſi cor ſalientibus aequo
Robore reſpondet vaſis celerique mouetur
Impete; ſanguineos homines animoque potentes,
Conſilii celeris, fortes et mente ſagaces
Dicimus; aſt alios, queis plurima ſanguine lympha
Atque ſalis modicum, ſed quantum ſufficit, extat,
Phlegmaticos; non hiſce minus praeſtatque valetque
Ingenium, mediocris ineſt nec feruidus ignis.
Suauior his morum ratio, nihil aeſtuat illis
Spiritus, eſt animus, qui iuſta cuncta bilance
Aeſtimat, hi varia pro conditione locorum
Opportuna ſuis componunt tempora rebus.
Participes cholerae feruent, mens ardua quaeuis
Suſcipit, hos lentus per rerum culmina paſſus
Euehit, hi ſtabili ſuperant obſtacula niſu.
Tarda *melancholicis* equidem ſunt vota, ſed illi
Se grauitate viros praeſtant, dum maſcula virtus
Imbelles ſubigit mores, dum cura futuri
Illis ſorte cadit, mentisque valentis acumen.
Innumerae veluti miſcelae ſanguinis extant,
Sic quoque mille modis virtutis amore tenetur,
Vel vitium natura petit, iuuenilibus annis
Conſilium multis fit conſuetudine diſpar
Nec licet ad certas adeo deducere claſſes
Ingenii motus, quin informatio mores
Inuertat, mentem doctrinae corrigat vſus.
Sunt quoque ſigna pathematibus ſolemnia: riſu
Diffluimus; fletus, lachrymarum fonte ſoluto,
Irriguas facit imbre genas, ſi quando dolemus.

Riden-

Ridenti facies commota carne fatiſcit,
Erumpunt tremuli diffracta voce cachinni,
Exſpiratque frequens moto diaphragmate pulmo,
Et redit in ſeſe reſpirandoque voluptas
Fit maior tumidumque replent noua gaudia pectus.
Triſtitiam facies ſignat, quam plurima fronti
Ruga ſupercilium confundit triſtibus vmbris.
Rore madet palpebra ſuo, dant labia rictus,
Inſpirat diaphragma diu, concuſſaque retro
Aura ruit, dum ſingultus pulmonica vaſa
Aere diſtendit conuulſaque ſtrangulat ora.
Hanc faciem mutate viri, date flere puellis.
Iratis fulgent oculi, gaudentibus ardent:
Eſt aliquis motus, quo praeconcepta voluntas
Per ſua ſigna patet, dum format lingua loquelam.[1]
Hac Deus haud aliud maius, diuinius vllum
Munus in humanam potuit profundere gentem,
Haec eſt interpres animi; ratione loquela
Perficitur ſociique ſciunt nos ſcire loquendo,
Haec ſocios nexus et dulcia foedera vitae
Committit, ſumus hinc homines, hinc eſſe probamur.
Hac diuina ſuas dotes ſapientia ſpargit,
Hac molles hominum mores manſuetaque fiunt
Pectora, dum mixtis variae ſermonibus artes
Erudiunt populos et pacis foedera pangunt.
Muſculus ille ſacer qui tantum dirigit actum

Cor-

1) Lucr. Lib. IV. v. 553.
Haſce igitur penitus voces cum corpore noſtro
Exprimimus, rectoque foras emittimus ore,
Mobilis atticulat verborum daedala lingua;
Formaturaque labrorum pro parte figurat.
Lucr. L. V. v. 1027.
At varios linguae ſonitus natura ſubegit
Mittere, et vtilitas expreſſit nomina rerum.

Corpore lingua ſuo baſilari figitur oſſe,
Illiusque ſimul motu diducta moûetur.
Eſt ſcapulae pars curua corax, qua muſculus exit,
Ceu ſterno pariter tenuis prognaſcitur alter,
Ortus dat nomen, dat iis inſertio nomen.
Os hyoides ab his premitur gutturque relaxat.
Ad latus inuertunt genio myloque profecti,
Proceſſus gracilis ſtilus prope temporis oſſa
Tollentem mittit, motumque digaſtricus illum
Adiuuat exortus mamilla temporis oſſis.
Viribus ipſa ſuis partes diuergit in omnes
Lingua, ſonosque cauo dimiſſos gutture format.
Huic geniogloſſus myloglosſusque valentes
Largitur motus, abducunt ille vel ille,
Aſt ſtilogloſſus linguae ſolet eſſe leuator,
Hanc hyoides agunt, baſeogloſſusque, premendo,
Dumque larynx variam modulatur glottide vocem,
Rimaque ſtricta ſonat,quam,nomine partibus aequo,
Muſculus aut arytaeneus vel paruulus alter
Poſtica veniens cricoides parte, coercet,
Tunc caput ipſius diuerſa carne laryngis
Ducitur aut ſurſum trahitur ſternoue propinquat.
Hinc ſterno thyroides,hyothyroides abinde,
Hic premit ille leuat; vox ipſa ſonantibus exit
Gutturis inflati cameris chordiſque ſonoris.
Gargareon, tonſilla duplex, velumque palati,
Mille modis vocem variant, dum fornice nares,
Labia, maxillae, dentes, communibus auram
Auxiliis mutant et deſignantia verba
Efficiunt flexu, vel cantibus aera mulcent.
Sic animi interpres formatur in ore loquela,
Quam variam variae gentes artisue periti.
Caſu vel ſtudio vel conſuetudine fingunt.

CAP.

CAP. XI.

DE MOTV.

Vltimus eſt aliquis finis, quem mente volente
Aſſequimur, motus, quo machina corporis huius, [1])
Arbitrio parens animi, ſua membra per auram
Explicat aut paſſim proprio conamine fertur.
Conſcia mens iſtum, reliquorum neſcia, motum
Dirigit, aſt non ipſa facit, ſed ſpiritus ille,
Qui reſidet neruis, paret, mentisque iubentis
Imperium capit et promptus mandata faceſſit,
Et ruit et penetrat carnes et criſpat easdem.
Dumque trahit chordas, funes, hypomochlia, vectes,
Corpus agit, celeresque ruens circumrotat artus.

Oſſa

1) Lucr. L. IV. v. 875.
Nunc qui fiat vti paſſus proferre queamus,
Cum volumus varieque datum ſit membra mouere,
Et quae res tantum hoc oneris protrudere noſtri
Corporis inſueuit, dicam, tu percipe dicta.
Dico, animo noſtro primum ſimulacra meandi
Accidere atque animum pulſare vt diximus ante,
Inde voluntas fit, neque enim facere incipit vllam
Rem quisquam, quam mens prouidit, quid velit, ante
At, quod prouidet illius rei conſtat imago.
Ergo animus cum ſeſe ita commouet, vt velit ire
Inque gredi, ferit exemplo, quae in corpore toto
Per membra atque artus animai diſſita vis eſt,
Et facile 'ſt factu, quoniam coniuncta tenetur
Inde ea proporto corpus ferit atque ita tota
Paulatim, moles protruditur atque mouetur
Praeterea dum rareſcit quoque corpus et aer
Scilicet vt debet, qui ſemper mobilis extat
Per patefacta vehit penetratque foramina largus
Et diſpergitur ad parteis ita quasque minutas
Corporis, hinc igitur rebus ſit vtrinque duabus
Corpus vti, vt nauis velis ventoque feratur.

Ossa situm stabilem, formam, iustamque staturam
Conciliant, trabibusque suis vel pondera gestant
Corporis erecti, vel viscera tegmine claudunt,
Vel motum virtute iuuant, dum musculus illis
Tendine fixus inest, dum se duo finibus ossa
Attingunt immersa suis, faciuntque vicissim
Articulos flexumque mouent contermina membrum.
Ossa rigent fibris duris multumque tenaci
Glutine compactis, nisi magno robore nunquam
Flexilibus; Diuersa tamen nec in omnibus vna
Durities nec crassities nec forma perinde
Omnibus existit, nec eadem quaelibet aetas
Ossa tulit specie, molli muccedine fiunt,
Et primo magis atque magis densantur ab ouo.
Laxior est illis habitus nec motibus aptus.
Propterea primis immotus durat in vndis
Embryo, nec sentit mater fastidia ventris,
Donec eant quatuor menses, tunc calcitrat infans
Assuescuntque suis paulatim motibus ossa.
Nec tamen in lucem geniti nascuntur, ad actus
Osse valente satis, decumbit debile corpus,
Ingressum natura negat, caro flaccida pendet,
Osse rigente minus, siquidem nascentibus ossa
Mollia sunt, et *longa* quidem tribus *omnia* constant
Partibus, hinc *trunco*, *processibus* inde duobus.
Articuli caput omne suo discrimine distat.
Processus omnes distinguit linea mollis,
Nec nisi post annos ter septem aetate peractos,
Linea discrimen faciens aboletur, et vnum
De tribus os factum perfecto robore pollet.
Ast costae bis sex, velut et clauicula, partes
Obtinuere magis duras; *processibus* illae

Non

Non tamen inde carent; sed sternum mollibus ortum
Principiis, variis punctis ossescit et omnis,
Infantis, pueri, vel consistentior aetas
In sterno variat; Tria sunt maioribus ossa.
Si quae lata patent, distinctis partibus, ossa
Paulatim fiunt et succrescentibus annis
Inter se coeunt tabulaque locantur eadem.
Fonticulum membrana facit, quo bregmatis ossa
Ossaque frontis hiant, duplici frons osse dehiscit.
Temporis os triplici, post vnum, fingitur osse.
Annulus est aliquis, qui flexu tympanon ambit,
Pars quaedam squamosa subest quaedamque petrosa.
Accedit sero stilus, seroque meatus
Osseus; auditus durescunt ocyus ossa.
Occiput e quatuor distinctis ossibus vnum
Denique fit, velut inferior maxilla duobus
Ossibus extiterat; dentes vel tempore primi
Vel sero geniti mox infantilibus annis
Alueolo subsunt molli muccedine facti.
Vertebra spinosis processibus hispida nullis,
Partibus est effecta tribus, prior omnibus, Atlas,
Quinque fit osficulis, effictus imagine dentis
Processus, mollis prius est, cum tempore durus.
Os sacrum quae perficiant, sunt corpora quinque.
Coxendix triplici pueris committitur osse.
Ilion est illis, est pubis et Ischion illis.
Hinc tria post fiunt expertia nominis ossa.
Osseus his nondum, sed mollis corpore coccyx.
Nil temere natura facit, succedentibus illa
Progreditur modicis, veloces prouida saltus
Haud facit et partes varias committit in vnum.
Omnia successu durissima temporis ossa

Euadunt, nec habent, quo porro creſcere poſſint.
Sanguis ineſt illis, arteria robore cordis
His quoque largitur ſuccos, nec venula deſit
Quae refluat, proprio turgeſcit fibra liquore,
Qui ſimiles oſſi partes nutritius affert.
Alba medulla tubos ſuccis melioribus implet,
Rubra ſubeſt diploi lati cuiuslibet oſſis
Et *ſummis* omnis longi *proceſſibus* oſſis.
Oſſibus inde ſalus: Iuuenilia farcta medullis
Oſſa valent, minus illa valent, queis ſera ſenectus
Pingue ſerum ſuxit, dum pauperiore medulla
Fibra riget nimium, nimium perioſteon aret.
Dentibus exceptis, ſummo qua parte corona
Prominet alueolo perioſteon omnibus extus
Oſſibus eſt, multumque tenax defigitur altis
Germinibus penetratque ſuis proceſſibus oſſa,
Oſſa fouet, nutrit, format, dat carnibus ortum,
Tendineos carnis fines abſorbet, in illud
Vaſcula mille ruunt nec neruea germina deſunt.
Nunc mihi muſa refer ſtabiliti corporis oſſa.
Quae cranium faciant, quae ſint in ſenſibus oſſa,
Queis thorax, quibus abdomen cauitasque medullae
Spinalis conſtet, quot ſingula vertebra partes
Exhibeat, quibus articulis haec oſſa ligentur,
Iam dictum fuit, aſt ſupereſt: queis oſſibus altum
Nitatur caput; occipitis ſe condylus infert
Atlantis ſinibus, ſed, epiſtrophos altera dicta
Vertebra prominulum per fortia vincula nectit
Occipiti *dentem:* ſupereſt, queis oſſibus artus
Articulum flectant exponere: crura mouentur,
Dum femoris caput in cotyle coxendicis alte
Haeret enarthroſi fixum, medianteque vinclo

Firma

Firmatum tereti ; molli pinguedine cincta
Articulo lentam profundit glandula lympham.
Dum circumducto firmatur capsula vinclo,
Succinctum ceruice caput circumrotat axis.
Huic propius subsunt maiorque minorque trochanter,
Hinc tubus excurrit flexus longaque columna
Poplitis articulum praestat; dum magnus vtrinque
Condylus est femoris, geminas dum tibia glenas
Introit immersas duplicis cauitatis in antro.
Sustinet articulum medium coniuncta patella.
Poplitis est ingens moti genuumque potestas.
Ginglymus articulum format, sunt vincula circum,
Ductaue transuersim circum circaue locata;
Sunt interna, genu medio, cruciataque surgunt.
Articularis adeps et glandula mucida pingui
Articulum mulcent lympha; segmenta polita
Insunt articulo crescentis imagine lunae.
Pes medius duplici describitur osse, superstat
Tibia, cui latus occludit vicinaque serpit,
Fibula iuncta ligamentis femorique pedique.
Malleolum pedis externum dat fibula, sicut
Malleolum pedis internum caua tibia format,
Iuncta, ligamentis intercurrentibus, ossa
Astragalo per enarthrosin stabilita tenentur.
Maxima vis pedis extremi, cui corporis ingens
Insistit moles, nec in vllo vincula plura
Articulo videas; sunt coniunctissima septem
Quae tarsum faciunt commissaque fortiter ossa:
Astragalus, calx, nauiculum, cuneusque, cubique
Tres, inter sese commissi corpore plano.
Illa synarthrosi sine magno fortia motu

Reſpondent quatuor metatarſi, et pollicis oſſi.
Inde triplex ſeries digiti cuiuslibet oſſa
Perficit. Ima phalanx metatarſi ſuſcipit oſſa.
Inter ſe coeunt reliquae, dum ginglymus illas
Copulat inque vicem commiſſo cardine flectit.
Brachia mobilibus ſpiris ducuntur in orbem,
Dum caput in capitis ſcapulae glenode lateſcit.
Os ſcapulae ſpina media diſtinguitur extus.
Subſcapulare cauum coſtas regione ſupremas
Reſpicit, inde duplex poſticas angulus oras
Margine deſcribit, ſumma caput eminet ora,
Et capitis ceruix, acromion, anchyroides
Proceſſus Coracis ſeu roſtri nomine dictus.
Hac humerus pendet, cui fortia vincula capſam
Efficiunt ſubterque biceps ſe tendine forti
Flectit et inſculpto ſinui committitur arcte.
Condylus eſt humero, qua ſe componit ad vlnam
Parte duplex, medioque cauo quo ſuſcipit vlnam,
Ginglymus efficitur; proceſſus firmat aduncus
Olecranon; nexum fortiſſima vincula formant.
Condylus internus radii cauitate tenetur.
Caetera conueniunt, manuique pedique; ſed octo
Oſſiculis carpus gaudet; cubico atque quadrato
Et piſiformi ſcaphoideque; nempe priorem
Perficiunt ſeriem carpi; tenet ordo ſecundus
Caetera, ſunt vnci forma capitisque figura
Et duo diuerſae multangula dicta figurae.
His metacarpus ineſt; digitorum perficit oſſa.
Ordo triplex, pollex itidem tribus oſſibus vnus
Efficitur, ſed nullus ei metacarpus habetur.
Omnibus his nexum, fortiſſima vincula praeſtant,
Omnibus eſt vel laeue caput vel mucidus humor.

Oſſi-

Ossibus adnexae totidem sunt robora carnis,
Quae super articulos infixo tendine lapsae
Ossibus immotis insunt centroque quietis
Excurrunt et in opposito motricibus osse
Figuntur fibris; sequitur pars flexilis vltro,
Ad varios sensus illuc diuergit et illuc,
Magnaque non magnis virtus in carnibus extat.
Musculus est series, fibrarum mollibus orta
Staminibus, dum missa suis, arteria vena,
Principiis pulpam suffusam sanguine formant,
Qua media neruus subtili stamine currit.
Si quid coniectura valet, primordia carnis
Ducuntur tribus his vasis, tunc plurima fibra
Colligitur tunicis media pinguedine farctis.
Hinc fit fasciculus fibrarum; pluribus illis
Musculus efficitur; Fixo caput haeret in osse,
Ductilis est venter, formatur tendine cauda,
Forma dedit nomen; media pinguedine currunt
Descripti propriis tunicis et denique quadam
Communi, celebrant motus, ne forte propinquis
Attritus noceat vicinaue fibra calescat.
Musculus influxu per neruea vasa ruentis
Inflatur fluidi; salium nil pugna mouendo
Vermiculusue valet, nil sanguinis influus aer,
Sufficit igniferos per neruea vasa fluores
Fasciculos fibrae vitali rore replere.
Aetheris illius virtute tumentque breuesque
Redduntur fibrae, crispatur musculus omnis,
Spiritibusque tumet, quo ductus tendo tremiscat
Et trahat in sese nisu flectatque sequaces
Articulos; Lex est motus, qui dirigit actum.
Nil temere factum, compendia magna laborum

Exiſtunt; trochleae vires virtutibus augent.
Robora parua valent tenui pro corpore multum.
Simplicibus quandoque caro virtutibus vna
Efficitur, quandoque biceps, quandoque digaſter
Muſculus eſt, quandoque triceps, dum pluribus vnus
Carnibus efficitur tendo; diuerſa mouendi
Pluribus eſt ratio, videas, qui pectus iidem
Et ſcapulas humerosue trahant; mox pluribus vnum
Os trahitur, varia ſpecie formaque locantur,
Strataque perficiunt, latos teretesque vel orbe
Inflexos videas, rhombi Trapezaeque figura,
Quadratos, rectos, obliquos, pyramidales,
Lumbrici facie, longos, vaſtosue breuesque,
Et ſi quos alios pro commoditate locorum
Et pro conditione ſcopi natura peregit.
Praeter deſcriptos oculi linguaeque vel auris,
Pectoris, aut alios, ſuccincto carmine porro
Enumerare lubet reliquos. Concertus
Vnus epicranius committit tendine frontem
Inde ſupercilium corrugatore mouetur,
Orbicularis adeſt, quo ſtrictis palpebra fibris
Conniuet, rictum riſorius explicat oris,
Atque zygomaticus maior, quandoque ſodali
Adiutus paruo, labrum inciſorius altum
Eleuat, eſt aliquis cui nomen turgida bucca
Buccali fecit, ſed labra platysma myodes
Sub cute protenſum ſummoque in pectore fixum
Deprimit, accedit menti quadratus et ille,
Quem Cowperus habet, paruusque triangulus oris.
Tunc transuerſalis naſi tunc pyramidalis
Conſtrictor naſi vel dilatator in alas.
Excurrunt, naresque trahunt formantque trahendo.

Flecti-

Flectitur antrorsum caput, hinc, dum musculus illi
Sub mammillari processu longior exit,
Illinc dum minor anticus maiorque mouentur.
Splenius extendit, complexus id efficit vna.
Postici socio, maiorque minorque, labore
Obliqui flexum caput in contraria ducunt.
His lateralis adest et eodem fine locatur,
Qua geminis validus finibis caput excipit atlas.
Inflectunt collum longissimus atque, priorum
Qui quoque costarum poterit simul esse leuator,
Scalenus; collum, *spinalis portio longi*
Et transuersalis tendunt, dum singula spinis
Intercepta suis *spinalem* vertebra mittit.
Transuersalis habet processus singulus vnum.
Corporis erectam seruat caro longa figuram,
Sacraque lumbaris vel coniunctissimus illi
Spinosus; lumbos flectit quadratus vtrinque.
Attollunt scapulam rhombi trapezaeque figura
Musculus, atque leuans scapulam, serratus eandem
Deprimit; anticus maior sub pectore natus
Serratus minor anticus de pectore natus
Adducunt scapulam, propria clauicula carne
Ducitur. Insignes virtutes brachia flectunt.
Musculus in tumido sub mammis pectore natus
Adducit, retroque mouet latissimus amplo
Ex spinis dorsi per dorsum tegmine natus.
Accedit teres huic maior, cum subscapulari,
Infra spinato socius teretique minori.
Inde supraspinatus adest et ducit in altum,
Quem socio nisu deltôdes sustinet actum,
Et qui processu scapulae venit ancyroide.
Extendunt cubitum longus brachiaeus vterque,

Aut ancone ſatus, communi tendine cuncti
Olecranon capiunt; flectit demerſus in vlnam
Carne biceps gemina, cuius pars tendine lato
Amplexata manum mediam, fit faſcia lata
Et carnes cubito natas amplectitur omnes.
Quadrato fit prona manus pariterque rotundo,
Illa ſupinatore breui longoque ſupina,
Flectitur, illa ſimul radiaeo flectitur, illa
Vlnari *interno*, palmari flectitur illa,
Qui lato totam deſcribit tendine palmam.
Oppoſiti lateris radiaeo extenditur illa,
Vlnaris iuuat externus, vola carne quadrata
Stringitur, extendit digitos triplicique phalanga
Extenſor ruit, aſt propria pollexque minorque
Carne riget digitus, metacarpi naſcitur oſſe
Singulus abductor digiti; tres intus, et extus
Conſpicies totidem. Thenar antithenarque ſecundo
Pollicis oſſe tenet, trahit hic, aſt abſtrahit ille.
Abductor minimi digiti carnoſior vnus,
Indicis adductor proprius carnoſior vnus.
Flectuntur digiti variis, primaeque phalangae
Sunt lumbricales quatuor, ſublimis in omnes
Diſcedit digitos, qua deſinit ordo ſecundus.
Tertia dicta phalanx digitorum, carne profundi
Flectitur, illa ſuo ſublimem tendine carnem
Perforat et validae vaginae tendine currit.
Tendo liquore madet lento multumque tenaci.
Pollicis eſt flexor proprius maiorque minorque.
Flexores femoris ſunt Iliacuſque Pſoaſque,
Liuidus accedit, paruus, qui rarius extat,
Inguinis oſſe Pſoas praelongo tendine finit.
Hinc femur extendunt magnus mediusque minorque

Glu-

Glutaei, ſub ſe toto coxendice nati.
Abducit membranoſus, ſeu faſcia lata,
Qui femoris mediique pedis velamine lato
Praecingit carnes, tunicaque tenacius ambit.
Abducunt itidem gemini, quadratus, et ille
Cui forma eſt oblonga pyri; crus inde rotatur
Obturatoris gemini virtute per orbem.
Pube triceps ſurgit, femori femur inde propinquum
Efficitur: Quatuor validiſſima robora iuncta
Tendine commiſſo ſtringunt virtute patellam.
Tibia tracta riget, nec curuo poplite flaccet,
Cruralem rectumque vocant vaſtosque ſodales.
Tibia tunc protenſa riget; contraria fiunt,
Dum mouet hinc gracilis, ducit Sartorius inde,
Dumque biceps, membranoſus vel nerueus vrgent.
Poplite dictus adeſt et eundem perficit actum.
Pes extreme, tibi, flexores tibia mittit,
Aut abductores, ſimiles tibi fibula mittit.
Surales gemini, commiſſi tendine magno
Plantarisque ruunt, iunctis formatur Achillis
Chorda, tenens calcem, quo magno robore planta
Flectitur, hinc digiti totidem flexoribus vſi,
Et totidem validis ſimul extenſoribus vſi,
Conſimili triplices exercent lege phalangas.
Sunt manui ſimiles carnes, nec tendinis impar
Eſſe ſitus ſueuit, ſed transuerſalis habetur
In pede praecipuus, plantaris tendine totus
Efficitur plantaeque tegit velamine carnes.
Caetera conueniunt. Mortales muſculus aedes
Oſſibus extructas, diuerſo viſcere plenas,
Continuo motu per mille pericula ducit,

Mille

Mille mali ſpecies, morborum ſpiſſa caterua
Vnguibus exſertis inhiat, durare diuque
Hoc corpus ſupereſſe nequit, recteque valendo
Aere deſtruimur, motus nos deſtruit ipſe.
Propterea feſſos ſomnus placidiſſimus artus [1])
Mutatis vicibus recreat, dulcique quiete
Membra noua virtute replet, mens ipſa quieſcit,
Nerueus interea gratos, inſomnia, luſus
Spiritus inſtituit, repetitque priora dierum
Vel noua componit varians ſpectacula rerum.
Hinc mortis ſpeciem patimur ſub imagine ſomni.
Pertaeſis vitae mortalibus vltima vota
Sunt bene poſſe mori; [2]) morbusne [3]) grauisne ſenectus [4])
Corporis et mentis vitalia foedera ſoluat.
Quotidie morimur, pendetque ab origine

FINIS.

1) Lucret. L. IV. v. 455.
Denique cum ſuaui deuinxit membra ſopore
Somnus et in ſumma corpus iacet omne quiete,
Tum vigilare tamen nobis et membra mouere
Noſtra videmur et in noctis caligine coeca
Cernere cenſemus ſolem lumenque diurnum
Tibulli Eleg. 4.
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte
Et pauidas mentes falſa timere iubent.
Ouid. Metam. L. XII. 613.
Hunc circa paſſim varias imitantia formas
Somnia vana iacent, totidem quot meſſis ariſtas,
Sylua gerit frondes eiectas littus arenas.
2) M. Manil. L. I. v. 755.
An fortes animae dignataque nomina coelo
Corporibus reſoluta ſuis terraeque remiſſa
Huc migrant ex orbe, ſuumque habitantia coelum
Aethereos viuunt annos mundoque fruuntur.
Aurel. Prud. de Natur. animae v. 21.
Eſt ſimilis ſeclis quod non conſumitur vllis

Quod

Quod ſapiens, iuſtique capax, reginaque rerum
Imperat, ante videt, perpendit, praecauet, infit
Verborum rerumque opifex, inſtructaque mille
Artibus, et coelum ſenſu percurrere docta.
His animam ſimilem ſibi conditor effigiauit
Caetera diſſimilem.

3) Lucr. Lib. II. v. 943.

animantem grandior ictus
Quam patitur natura repente adfligit et omneis
Corporis atque animi pergit confundere ſenſus,
Diſſoluuntur enim poſiturae principiorum
Et penitus motus vitales impediuntur,
Donec materies omnis percuſſa per artus
Vitaleis animi nodos e corpore ſoluit,
Diſperſumque foras per caulas eiicit omneis.

4) Iuuen. Sat. X. v. 243.

Haec data poena diu viuentibus, vt renouata
Semper clade domus multis in luctibus inque
Perpetuo moerore et nigra veſte ſeneſcant.

Maximianus Elegiar. Libro, Eleg. I.

Emula cur ceſſas finem properare ſenectus,
Cur et in hoc feſſo corpore tarda ſedes.
Solue precor miſeram tali de carcere vitam
Mors eſt iam requies, viuere poena mihi,
Non ſum qui fueram, periit pars maxima noſtri,
Hoc quoque quod ſupereſt languor et horror habet.

INDEX.

Abdominis annulus C.I. v. 44
Aeris effectus in corpus V. v. 162
Aetas consistens II. v. 95
Aetatum mutatio II. v. 106
Allantoides tunica I. v. 185
Amnios I. v. 181
Anima X. 5
Animae imperium in corpus VII. v. 346
Animae sedes VII. v. 130
Animantia bruta sensibus valent VII. v. 343
Appetitus cibi et potus III. v. 1
Arteriarum finis VI. v. 160
- - systema VI. v. 20
- - systole VI. v. 170
Articulus XI. v. 14
Attentio X. v. 16
Auditus IX. v. 190
Auris partes IX. v. 195
Bilis III. v. 270
Bilis elementa III. v. 442
Bilis vsus III. v. 304. et 450
Botalli ductus I. v. 216
Bregma VII. v. 20.
Bronchia V. v. 67
Bronchialis arteria et vena V. v. 96
Cerebellum VII. v. 77
Cerebri motus VII. v. 149
Cerebri partes VII. v. 89
Cerebrum VII. v. 1
Chorion I. v. 183
Choroides, χοροειδὴς tunica VII. v. 102
Chylifer ductus III. v. 625
Chylus III. v. 267
Chylus ad hepar III. v. 540
Chymus III. v. 266
Cibi qui III. v. 100
Cisterna lumbaris III. v. 539
Climactericus annus II. v. 161
Colostrum II. v. 50
Conualescendi modus IV. v. 156
Cordis auriculae IV. v. 90
Cordis coronaria vasa IV. v. 56
Cordis historia IV. v. 1 - 39
Cordis motus IV. v. 125. 165
Cordis septum IV. v. 112
Cordis valuulae Cap. IV. v. 100
Corpora sonora IX. v. 261
Corpus reticulare IX. v. 354
Cranii ossa VII. v. 5
Cricoeides V. v. 38
Crines IX. v. 341
Cutis IX. v. 337
Deglutitio III. v. 175
Dentes adultorum III. v. 116
Dentes primores II. v. 64
Dentes tardi II. v. 72
Dentium effluuium II. v. 76
Dentium origo II. v. 81
Diaphragma V. v. 122
Diaphragma causa digestionis III. v. 258
Ductus chyli III. v. 595
Dura meninx, musculus VII. v. 308
Embryo partus causa I. v. 230
Epiglottis V. v. 23
Faeces aluinae III. v. 543
Fames III. v. 75
Fames et sitis neogenitorum II. v. 10
Febris lactea II. v. 54
Fletus X. v. 84
Fluidi neruei reditus VII. v. 317
Foetus conceptus I. v. 136
Foetus pulmones I. v. 210
Foetus vita in vtero I. v. 171
Funis vmbilicalis I. v. 200
Gemelli I. v. 112
Gingiua III. v. 143
Glandula conglobata VII. v. 385
Glandula conglomerata VII. v. 390
Glandula lymphae origo VII. v. 381
Glandula suprarenalis VIII. v. 69
Glandulae VI. v. 408
Glandulae incogniti vsus VII. v. 392
Glandulae pueris maiores VII. v. 415
Glissonii capsula III. v. 372
Gustus IX. v. 284
Haemorrhois III. v. 585
Haruaeus VI. v. 204
Hemisphaeria, ἡμισφαίρια cerebri VII. v. 74
Hepatis historia III. v. 312

INDEX.

Ideae connatae Cap.X. v. 10
Ingluuies morborum causa III.v.66
Insensibilis transpiratio VIII. v. 150
Intellectus X. v. 44
Intestina crassa III. v.551
Intestina tenuia III. v.472
Intestinum duodenum III. v. 468
Lac II. v. 35
Lactatio III. v. 19
Lactis tempus II. v. 44
Lacunae vrethrae VIII. v. 32
Laryngis musculi V. v. 30
Larynx X. v. 128
Larynx, λαρυγξ foem. V. v. 19
Lienis historia III. v. 375
Lingua iudex salubrium et insalubrium IX. v. 311
Linguae partes IX. v. 285
Liquor intestinorum III. v. 505
Lochia I. v. 255
Loquela X.v.100
Lympha sanguini remixta VI.v.294
Lympha spiritib.congener VII.v.356
Lymphae diuersitas VII. v.366
Lymphae ortus VI. v. 400
Lymphae via VII. v. 373
Lympha vnde VII. v. 305
Mammae erumpentes II. v. 28
Mammae historia II. v. 30
Manducatio III. v. 115. et 146
Maxillae III. v. 124
Meconium III. v. 563
Mediastinum IV. v. 27
Medulla oblongata VII. v. 44
Medulla spinalis VII.v.88
Memoria X. v. 27
Menstrua I. v. 132
Menstruorum fluxus VIII.v.8
Mesenterium III. v. 480
Mesocolon III. v. 484
Mors IV. v. 210
Mors XI. v. 344
Motus XI. v. 1
Muliebria I. v. 95
Musculi XI. v. 170
Musculi abdominis III. v. 261
Musculi ani III. v. 578
Musculi deglutitionis III. v. 180
Musculi linguae X. v. 114
Musculi manducantes III. v. 150
Musculi vrethrae VIII. v. 24
Musculorum enumeratio XI. v. 221
Musculorum forma XI. v. 210
Narium pituita IX. v. 96
Nasi ossa IX. v. 27
Nasus IX. v. 15
Nasus iudex salubrium et insalubrium IX. v. 18
Natura quid VII. v. 338
Nerui fluidum VII. v.277
Neruorum ordo VII. v. 154
Neruorum terminus VII. v.267
Notionum ortus X. v. 7
Nutritio VI. v.340
Nutritio abundans VI. v. 381
Nutritio deficiens VI. v. 395
Nutritio sufficiens VI. v. 384
Oculi partes IX. v. 84
Oesophagus III. v. 189
Olfactus IX. v. 5
Omenti historia III.v.414
Omenti pinguedo ad bilem III.v.359
Omphalos, pro vmbilico I. v. 210
Operatio mentis IX. v. 1
Ὀρμέντες VII. v.292
Ossa XI. v. 11
Ossa iuuenum et senum XI.v. 83.34
Ossa orbitae IX. v. 72
Ossa capitis foetus in partu I. v. 240
Ossium cranii in foetu diuersitas I. v. 240
Ossium historia XI. v. 94
Ossium mutatio II. v. 91
Ossium vasa XI. v.76
Osteogenia XI. v. 21
Ouulum maternum I.v.10. v. 146
Pancreatis actio III. v. 279
Parenchyma II. v. 32
Parenchyma VI. v. 195
Partus I. v. 235
Partus I. v. 228
Pectus IV. v. 17
Peluis I. v. 105
Penis I. v. 75
Penis glans I. v. 79
Perceptio X. v. 19
Pericardii liquor IV. v. 32
Pericardium IV. v. 26
Periosteum XI. v. 88
Peristalticus motus III.v.447. et 516
Peritonaei processus I. v. 42

Pharynx, φαρυγξ foem. V. v. 22
Pinguedo VI. v. 388
Pinguedo VII. v. 420
Pinguedo XI. v. 367
Pinguedo intermuſcularis XI. v. 187
Pinguedo ſanguini reddita VI. v. 284
Plantarum amores I. v. 20
Pleura IV. v. 13
Πνευματωσις VII. v. 300
Potus, quis praeoptandus III. v. 31
Praeputium I. v. 82
Proſtata I. v. 71
Pubertas II. v. 110
Pulmo V. v. 60
Pulmo ſanguificans V. v. 190
Pulmonum actio V. v. 1
Pulmonum vaſa V. v. 74
Radii lucis IX. v. 173
Rationis et loquelae primi motus II. v. 104
Renes VIII. v. 42
Renum diuerſitas pro ætate VIII. v. 51
Reſpirationis muſculi V. v. 100
Riſus X. v. 86
Sanguinis circuitus VI. v. 1
Sanguinis circulus IV. v. 146
Sanguinis motus inteſtinus VI. v. 176
Sanguinis ortus VI. v. 307
Sanguinis ortus V. v. 195
Sanguinis partes VI. v. 266
Saliua III. v. 155
Sanitas conſeruanda VI. v. 362
Sapores IX. v. 307
Scrotum I. v. 88
Secretio humorum VIII. v. 1
Secundinae I. v. 177
Secundinae I. v. 247
Semen virile I. v. 49
Seminis vermiculi I. v. 157
Seminis veſicula I. v. 60
Senectus II. v. 146
Senſus interni X. v. 1
Septimus annus quilibet periodicus II. v. 160
Sinus frontales IX. v. 53
Sitis III. v. 13
Somnus XI. v. 339
Spiritus VII. v. 138
Spiritus motus autor XI. v. 5
Spiritus officium VIII. v. 329
Spontaneum naturae decrementum XI. v. 330
Sternutatio IX. v. 59
Sudor VIII. v. 158
Tactus IX. v. 324
Tactus internus IX. v. 379
Temperamenta X. v. 50
Teſtes viriles I. v. 86
Thymus III. v. 618
Thyroides V. v. 25
Τραχεια V. v. 38
Tracheae annuli ſemipleni V. v. 42
Tuba Fallopiana I. v. 139
Tunicae inteſtinorum III. v. 490
Tunica pituitaria IX. v. 41
Valuula Euſtachii VI. v. 222
Valuula Kerkring. III. v. 518
Vaſa lactea III. v. 524
Venae Meſocoli III. v. 590
Vena lienaris ſine valuulis III. v. 408
Venarum principium VI. v. 187
Venarum ſyſtema VI. v. 198
Venarum valuulae VI. v. 202
Venoſus canalis I. v. 212
Veſica vrinaria VIII. v. 103
Ventriculi Galeni V. v. 28
Ventriculi hiſtoria III. v. 200
Vina quae III. v. 50
Virginitatis ſigna I. v. 60
Viſus IX. v. 71
Vita foetus poſt natiuitatem II. v. 1
Vmbilicalis vena I. v. 196
Vmbilici vaſa I. v. 200
Vngues IX. v. 348
Voces IX. v. 274
Vox X. v. 135
Vrachus I. v. 206
Vrachus VIII. v. 98
Vrethrae muſculi I. v. 65
Vrethra foeminis breuior VIII. v. 135
Vrinae partes VIII. v. 140
Vrinae ſecretio VIII. v. 40
Vrinae via VIII. v. 83
Vroſcopia VIII. v. 144
Vteri placenta I. v. 189
Vteri vagina I. v. 100
Vterus I. v. 110
Vterus poſt partum I. v. 255
Xiphoides, Χιφοειδες V. v. 116



QP
34
H44
1739